AD VINDICIAS HISPANICAS LAMPADES HISTORICÆ,

Contra nouas MARCI ANTONII DOMINICI cauillationes, parte alterâ rediuiuæ (vt ipſe comminiſcitur) Ansberti Senatoris Familiæ:

Auctore IOANNE IACOBO CHIFLETIO, Equite, & Regio Archiatrorum Comite.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XLIX.

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO,

D. LVDOVICO MENDEZ DE HARO,

COMITI, DVCI OLIVARIENSI,

PHILIPPI IV. CATHOLICI REGIS

NOBILI CVBICVLARIO,

EQVILIVM SVMMO PRÆFECTO,

NECNON AB INTIMIS STATVS BELLIQVE CONSILIIS.

DVM HISPANIÆ cauſam ago, eiúſque gloriam & iura ſtrenuè tueor, rem mihi eſſe nemo non videt cum hominibus, qui pridem Tiberij Imperatoris affectus induiſſe videntur, quem Tranquillus teſtatur *maximè curaſſe notitiam hiſtoriæ* In Tib. c. 1.
fabularis vſque ad ineptias & deriſum. Illi ſiqui-

dem Mileſias contexunt, animáſque fingunt defunctorum; & (quod eſt ſubinde humanæ mentis) imaginibus ſapientiæ paſci amant, atque erroris. Scio magnorum Principum initia idcircò ignorari, Dio Chry. Orat. 31. *quòd non putarent veteres illorum* NOMINA *inſcribi oportere, qui omnibus alioquin eſſent* NOTI; *exiſtimantes, propter tunc vigentis gloriæ excellentiam, in omne tempus, atque in poſterum* NOMEN *manſurum. Sed deinde, propter temporis longitudinem, in ignorationem venêre.* Hinc natæ poſtmodum de Principum originibus fabulæ; quos à Troianorum, Thebæorum, vel Solymorum Regum iconibus & ſimulacris traxêre nonnulli, longámque ſtemmatum ſeriem texuere, Hebræorum genealogijs ſimillimam; quas Apoſtolus 1. Timot. c. 1. *interminatas* appellauit, hoc eſt (vt ego interpretor) exordio carentes, & multorum plerumque ſæculorum interuallo diſcriminatas. Non defuêre hac noſtrâ ætate, qui Nobilium quorumdam longo ſtemmate genus à Noëmi, communis noſtrûm parentis, arcâ repetierint: verùm quibus conſpicillis

ſpicillis tam longè proſpicere potuerint, mihi equidem non liquet. Aduerſarij mei Bouchetus & Dominicus, vt HVGONIS CAPETI notæ vſurpationi peplum obducerent, illum ex vno & eodem virili Carolinorum fonte primigenio deducere conati ſunt; ſed fruſtrà, vt Tu, Excellentiſſime Domine, hiſtoricis Lampadibus admotis, pro Tuâ ingenij ſagacitate & doctrinâ ſingulari poteris arbitrari; qui abſtruſa hoſtium conſilia tam altè penetras, vt ſi ab HONESTÆ PACIS conditionibus abhorrere pergant, hodiéque vel maximè, ſi vmquam aliàs Titi Liuij ſuffragio, HISPANIA *non quàm Italia modò, ſed quàm* VLLA PARS TERRARVM, *bello reparando aptior locorum hominumq́; ingenijs.* Ex quo præſertim REGVM MAXIMVS Te ſuorum arcanorum participem atque adiutorem eſſe voluit; qui à fortiſſimis CANTABRIÆ DYNASTIS longâ Procerum ſerie originem trahens, & in tractandis Reipublicæ negotijs, & in litteratorum lucubrationibus auidè Lib. 18.

excipiendis, munerandíſque, diſpari in ſtudio, pari cum laude verſaris.

Quod ad me attinet, perſpectum nuper habui, vigilias meas benignitatis Tuæ luce foueri abundè atque illuſtrari, cùm, Tuo conſilio, REGVM MAXIMO placuit filium meum, IVLIVM CHIFLETIVM, Metropolis Biſontinæ Canonicum, & Archiepiſcopatus in ſpiritualibus & temporalibus Vicarium generalem, ad inclytiſſimi ORDINIS AVREI VELLERIS purpuratam CANCELLARIJ dignitatem euehere. Quâ quidem in electione Tac. lib. de Germ. tametſi non me lateat, *patrum merita Principis dignationem etiam filijs aſſignare*; mihi tamen, teſti alioqui in hac causâ minùs idoneo, ſperandum exiſtimo fore, vt quam de IVLIO adhuc abſente opinionem concepiſti, omni ipſe animi contentione confirmet: ita vt Excellentiſſimum D. Marchionem de Caſtel Rodrigo, probatæ fidei Optimatem, vera de illo teſtatum eſſe re ipsâ comperias; dum coram REGE, coram Te, atque Aulâ

Aulâ vniuersâ, cultus auitos & paternos in AVGVSTISSIMAM DOMVM filius exprimet, doctus à puero patriſſare. Diu vale, Excellentiſſime Domine, & nos fauore Tuo beare perge. Bruxellæ Cal. Nou. anni Chriſtiani M. DC. XLVIII.

IO. IAC. CHIFLETIVS.

APPROBATIO CENSORIS.

LAMPADES HISTORICÆ *Nobiliſsimi viri* IOANNIS IACOBI CHIFLETII, *Equitis, & Regij Archiatrorum Comitis, vti nihil Catholicæ fidei aut bonis moribus aduerſum redolent, ita oleo turgent doctrinæ reconditioris; quod, ijs perlectis, atque examinatis, cenſui Bruxellæ Idibus Auguſti*, M. DC. XLVIII.

Antonius Sanderus Presbyter S. Th. Licentiatus, Canonicus & Scholaſticus Iprenſis, librorum Cenſor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Lumina noua ad Vindicias Hiſpanicas, ſiue Reſponſa ad Francorum obiectiones, Auctore Ioanne Iacobo Chifletio, Equite & Archiatro Regio,* præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XIV. Martij M. DC. XLVII.

Signat.

Steenhuyſe.

INDEX

INDEX LAMPADVM HISTORICARVM.

LAMPAS I. *Fabula noua, de origine maſculinâ Hugonis Capeti Regis à S. Arnulpho Metenſi, per gradus denuò examinatur, & exploditur.* Pag. 1.

LAMPAS II. *Madriacenſis pagus in Neuſtriâ non fuit per ſe Comitatus, ſed pars Diœceſis & Comitatus Ebroicenſis.* 29.

LAMPAS III. *Rurſus expenduntur Eginarthi verba de Thietberto Matricenſi Comite, & eius filiæ nuptijs in Arduennâ celebratis.* 32.

LAMPAS IV. *In Auſtraſiâ ſtabilitur Thietberti Comitis Matrica, quæ fuit Romanum opus, & ſpecula tutandi ad Moſellam limitis.* 34.

LAMPAS V. *Matrica Thietberti Comitis ſita erat ad viam militarem, quæ à Diuoduro ſeu Mediomatricâ Treuiros tendit.* 40.

LAMPAS VI. *Alia Dominici trica genealogica leui manu diſſoluuntur.* 44.

LAMPAS VII. *Ortus* PHILIPPI IV. *Regis Catholici à* CAROLO MAGNO *per Mathildem & Albradam,* LVDOVICI IV. *Regis filias.* 50.

LAMPAS VIII. *Ortus* PHILIPPI IV. *Regis Catholici à* CAROLO MAGNO *Imperatore, medijs Comitibus Bononiæ Belgicæ ad fretum Morinorum.* 55.

LAMPAS IX. *Quæritur an* EVSTACHIVS II. *Comes Bononiæ ex* IDA *vxore tres dumtaxat filios genuerit, an verò quatuor.* 59.

LAM-

LAMPAS X. *Ius* PHILIPPI IV. *Regis Catholici ad Comitatum Bononienſem.* 64.

LAMPAS XI. *Hiſpaniarum Catholici Reges meritò dici poſſunt Noui Orbis Apoſtoli, & ad ſalutem gentium à Deo deſtinati. Reges Franciæ non ſunt primogeniti Eccleſiæ filij; nec ijs præcipuus ſupra Reges alios titulus Chriſtianiſſimi.* 71.

LAMPAS XII. *Antiqui Franciæ Reges cum Imperatoribus fœdera percutiebant; non ſeorſim cum Imperij Principibus aut Statibus, qui Cæſaribus infidi eſſent.* 75.

MANTISSA AD PRIMAM LAMPADEM, *De fabuloſo ſtemmate Hugonis Capeti. Verbulum in conuiciatores.* 85.

NICO-

NICOLAVS VIGNERIVS, Henrici III. Francorum Regis Medicus & Hiſtoricus, in præfatione libri de Nobilitate tertiæ ſtirpis Franciæ Regum.

MAGNAE *Familiæ, quæ poſt receptam Chriſti fidem ſurrexêre, non auſæ ſunt, vt Ethnici fecerant, ſuam à cælo repetere originem: ſed plerique paſſi ſunt nugis ſe irretiri per quoſpiam, qui, vt ipſis blandirentur,* FALSA *pro arbitrio* STEMMATA *ſtruxerunt, quibus antiquioris multò* GENERIS *induxêre ſpeciem, quàm reuerà ſit illud, ex quo ſe oriri certò ſciunt. Quocircà omnium Europæ Familiarum, quin & Orbis totius* GENEALOGIAE *fabulis & mendacijs implicatæ conſpiciuntur.*

SCIPIONIS DVPLEIXI, Regij Francorum Hiſtoriographi, etiamnum ſuperſtitis, IVDICIVM, haud ità pridem promulgatum.

Tomo 1. ç.1. n.10. STVPIDE *aberrant,* FABVLASq; *pro veritate accipiunt, qui* REGES *noſtros omnes, tam* MEROVINGIOS, *quàm* CARLOVINGIOS, *atque* CAPETIANOS, *ex vno eodemque ſtipite oriri exiſtimant; illoſque in* TRIPLEX *diuerſum* GENVS *diſtinguendos non eſſe.*

AD VINDICIAS HISPANICAS LAMPADES HISTORICÆ,

Contra nouas Marci Antonii Domìnici Cauillationes, parte alterâ rediuiuæ (vt ipſe comminiſcitur) Ansberti Senatoris Familiæ.

LAMPAS I.

Fabula noua, de origine maſculinâ Hugonis Capeti Regis à S. Arnulpho Metenſi, per gradus denuò examinatur, & exploditur.

NEMINEM hodie ſupereſſe, qui à Carolo Magno Imperatore virile genus trahat, ante me affirmarunt viri docti & Franco-Galli, [a] Theodorus Gothofredus & [b] Lud. Canterellus Faber: quod nec inficiatur ipſe Dominicus; ſed totis animi viribus probare nititur, Capetinos Reges, etſi non ab ipſomet Imperatore Magno, ſaltem ex eodem maſculo Maiorum regiæ Domus fonte prodiiſſe per Childebrandum Ducem, Caroli Martelli fratrem, à S. Arnulpho Metenſi non interruptâ ſerie deductum. At ego, ſi ipſo fatente aduerſario, *abditos naturæ receſſus penetraui;* haud minùs feliciter oſtendiſſe me exiſtimo, eiuſmodi Childebrandi Stemma commentitium eſſe: quod hîc expendo iterùm, tandemque ad Mythiſtorica damno; non ſecùs ac Anaxandrides Rhodius fabulas, quæ populo non placuiſſent, ſolebat concidere, & inuoluendo thuri ad Pharmacopolas relegare.

[a] De Orig. Auſtr. pag. 5.
[b] In Conſid. Hiſt.
Pag. 158.
Athenæus lib. 9. c. 4.

Fabuloſum Stemma Hugonis Capeti, per maſculos deductum à B. Arnulfo Metenſi Epiſcopo, ex tabulâ Bouchetianâ deſumptum.

1. B. ARNVLFVS Dux, deinde Metenſis Epiſcopus: vxor DODA.

2. ANSIGISVS Dux: vxor BEGGA.

3. PIPINVS Dux & Maior Domus: vxor ALPAIS.

4. CAROLVS Martellus: vxor ROTRVDIS.	4. CHILDEBRANDVS Dux & Comes.
5. PIPINVS Rex: vxor BERTRADA.	5. NIBELVNGVS Comes Madriacenſis.
6. CAROLVS Magnus, Rex & Imperator: vxor HILDEGARDIS.	6. THEODEBERTVS Comes Madriacenſis.
7. LVDOVICVS Pius: vxor IVDITHA.	7. ROBERTVS I. Comes, & Maior palatij Pipini I. Regis Aquitaniæ: vxor AGANA.
8. CAROLVS Caluus: vxor HERMENTRVDIS.	8. ROBERTVS II. Fortis, Andegauenſis Comes: vxor ADELAIS, filia Ludouici Pij Imp.
9. LVDOVICVS Balbus: vxor ADELAIS.	9. ROBERTVS I. Rex: vxor BEATRIX.
10. CAROLVS Simplex: vxor OGIVA.	10. HVGO Magnus, Dux Francorum: vxor HAVIDIS Saxonica.
11. LVDOVICVS IV. vxor GERBERGA. ob. 954.	11. HVGO Capetus Rex anno 987. quo deceſſit Ludouicus V. vxor ADELAIS.
12. LOTHARIVS Rex: vxor EMMA. ob. 967.	
13. LVDOVICVS V. Rex vltimus huius lineæ.	

GRA-

GRADVS I.

S. ARNVLFVS DVX, DEINDE METENSIS EPISCOPVS.

HVNC ſine controuerſiâ Carlouingi Reges ſanctiorem agnouere generis ſui ſtipitem. Vita S.Clodulphi Metenſis Epiſcopi: *Genealogiam paternam* B. ARNVLFVS, *huius ſanctæ Metenſis Sedis Pontifex, coruſcam mirabiliter facit, & decentiſſimam reddit, dum eius genitor prædicatur, & eſt; qui ex antiquo Senatorum genere, patre* ARNOALDO *procreatus*, FRANCIAM *omnem, imò totam* GALLIAM *nobilitauit, ac decentiſſimâ generoſitate ſuperauit, & in ſuperando ingenti gloriâ famoſam reddidit & honeſtam.*

Annales Metenſes de Pipino Herſtallio, Patre Caroli Martelli: *Erat ei agnatione* *AVVS *quidam vir plenus virtutibus* ARNVLFVS *nomine, Metenſis vrbis Epiſcopus. Hic omnium Francorum coram Deo & hominibus* PATRONVS *præcipuus habebatur.* Ad an. 687.

Stephanus Leodienſis Abbas de Carolo Martello: *Vt tam glorioſæ ſobolis, quæ hinc ex radice ſancti* ARNVLFI, *illinc ex cognatione ſancti Modoaldi prodijt, fortia & præclara geſta liceat aliquatenus intueri, imò non paruo ſtupore admirari; videamus* CAROLVM, *quem idem* PIPINVS *ſibi ſuperſtitem, tam dignitatis quàm & virtutis ſuæ reliquit heredem.* In Vitâ S. Modoaldi c.8.

Guido Baſochius item de Martello: *Supernæ diſpoſitioni, cùm ad regimen Francorum ſancti progeniem* ARNVLFI *elegiſſet, placuiſſe creditur extuliſſe potiùs hunc, quàm alium* EIVSDEM GENERIS, *ad hunc apicem dignitatis.*

Ruſſum Vita S. Clodulfi Metenſis Epiſcopi de Pipino Rege: *Primus ex ſancti* ARNVLFI *feliciſſimâ ſtirpe Regalibus ſceptris ſe, & ſuccedentem prolem felici auſpicio & beatis initiis decoram reddidit & honeſtam.*

Paulus Diaconus de Carolinorum Regum prolibus ſepultis in S.Arnulfi Oratorio Metis: *Quòd à beato* ARNVLFO *iam dicti Reges originem ducerent, ſuorum ibi charorum defuncta corpora poſuêre: nam ibi humatæ ſunt duæ Regis* PIPINI *filiæ; quarum vna Rothaidis, altera Adelhaidis appellata eſt: ibi quoq; & iunioris Regis Caroli duæ nihilominùs ſunt tumulatæ, ſcilicet Adelhaidis & Hildegardis.* Lib. de Epiſc. Met.

Theganus de Carolo Magno Imperatore: *De proſapiâ ſancti* ARNVLFI *Pontificis Chriſti ortus eſt, ſicut paterno relatu didicimus, & multæ teſtantur hiſtoriæ.* Ad an. 813.

Guido Baſochius de Ludouico Pio: *Precibus & meritis animam ſuam Deo commendat, & corpus Eccleſiæ ſancti Epiſcopi* ARNVLFI Ad an. 840.

PROAVI SVI, *ſpectatæ quondam nobilitatis, & conſummatæ iuſtitiæ viri.*

Annal. Bertin. ad an. 869. Hincmarus Remenſis de Carolo Caluo: *Pater ſuus Domnus Ludouicus Pius Imperator Auguſtus, ex progenie* HLVDOVICI [Clodoueum intelligit] *Regis Francorum inclyti exortus per* B. ARNVLFVM, *cuius carne idem Ludouicus Auguſtus originem duxit carnis.*

Ad an. 880. Regino Abbas de Carlomanno Bauariæ & Italiæ Rege: *Filium elegantiſſimæ ſpeciei ſuſcepit, quem* ARNOLFVM *nominari iuſſit, ob recordationem Reuerendiſſimi* ARNOLFI *Metenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, de cuius ſancto germine ſua aliorumque* GERMANORVM FRANCORVM *proſapia pullulauerat.*

Lib.6. cap.7. Otho Friſingenſis de eodem Rege Carlomanno: *Paralyſi diſſolutus moritur, ac in loco Bajoariæ Odingas dicto ſepelitur, relinquens filium (ex nobili feminâ, ſed non legitimâ) quem de beati* ARNVLPHI *nomine, tamquam* CAROLORVM *origine,* ARNVLPHVM *nominauit.*

Ad ann. 883. Chronicum Laureshamenſe: *Poſt cuius diſceſſum* [Caroli Magni] *eodem quo acceſſerat modo cœpit fortuna diffluere, donec ex defectu regiæ ſtirpis, ſolus hic* [ARNVLFVS] *inueniretur Regno Francorum gubernando idoneus, &* REGALIS PROSAPIA *à* B. ARNOLFO *Duce & Epiſcopo prodiens, in hoc Arnolfo Duce & Imperatore quaſi progreſſus ſui penultimum limitem acciperet.*

Ex Arch. Metenſi. Eua Comitiſſa Caluo-Montenſis in chartâ anni CM. LXV. ſub Lothario Carlouingorum Regum penultimo: *De genealogiâ pretioſiſſimi confeſſoris Chriſti* ARNVLPHI *filius meus ex parte patris ſui originem duxit, ex quâ etiam* REGES FRANCORVM *diuinitus orti ſunt.*

Denique Ansberto Senatori & eius poſteris adſcripta eſt olim In Append. pag.451. & 452. Romani ſanguinis *claritas,* λαμπρότης, vt alibi oſtendi. Optarem vel vnicum Auctorem in medium dari à Dominico, qui de Roberti Fortis, vel Hugonis Capeti origine, aut à S. Arnulpho Metenſi, aut Seneca Epiſt.53. ab Ansberto eius auo, paria proferret encomia. *Somnium narrare, vigilantis eſt; & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt.*

GRADVS II.

ANSIGISVS DVX.

Lib. de Epiſcop. Metenſibus. PAVLVS Warnefridus Diaconus Forojulienſis: *Hæc ego non à qualibet mediocri perſonâ didici, ſed ipſo totius veritatis aſſertore precelſo Rege* CAROLO [Magno] *referente cognoui, qui de eiuſdem* B. ARNVLFI *deſcendens proſapiâ, & in generationis lineâ trinepos extabat.*

extabat. Nam venerandus iſte vir iuuentutis ſuæ temporibus ex legitimi matrimonij copulâ duos filios procreauit, id eſt, ANSCHISVM *& Clodulſum: cuius* ANSCHISI *nomen ab* ANCHISE, *patre* ÆNEAE, *qui à Troiâ in Italiam olim venerat, creditur eſſe deductum.*

Idem Warnefridus in Hiſtoriâ Eutropio additâ: *Hoc tempore apud Gallias in Regnum Francorum* ANCHIS, *Arnulfi filius, qui de nomine* ANCHISAE TROIANI *creditur appellatus, ſub nomine Maioris Domus gerebat Principatum.* Lib. 8.

Paulus Æmilius de Pipino Rege: *Ex ampliſſimâ familiâ & tam veteri nobilitate natus erat, vt cùm auctor gentis origoque prima ignoraretur, quòd multi eius ſtirpis* ANCHISII *vocitati inuenirentur, ab* ANCHISE *Troiano eos oriundos plerique iactarent.* Lib. 1.

Ex Epitaphio Rothaidis, filiæ Pipini Regis, ſepultæ Metis in Oratorio S. Arnulfi:

PIPINVS pater eſt, KAROLO de Principe cretus,
Agarenum ſtrauit magnâ qui cæde Tyrannum.
PIPINVS proauus, quo non audacior vllus.
Eſt abauus ANCHISE potens, qui ducit ab illo
TROIANO ANCHISA longo poſt tempore nomen.

Ægidius S. Trudonis Abbas de Carolo Duce, Lotharij Regis fratre, & Gerbergâ eius filiâ, quam ipſe viderat:

Sic tua res agitur, Dux KAROLE, ſicque Ducatum
Lotharicum perdis, dum TVA REGNA petis:
Filius OTTO tamen tibi Dux ſuccedit in illo,
Quem ſibi confirmat IMPERIALIS APEX:
Huic quoque germanam dant Chronica ſcripta ſororem
Nomine GERBERGAM, quæ mihi viſa fuit.
Hanc ſibi LAMBERTVS deſpondit, quem RAYNERVM
Hannoniæ Comitem progenuiſſe ferunt:
Huic quoque ſucceſſit HENRICVS filius, OTTO
Quem ſequitur fruſtrà; nam ſine prole fuit.
Hunc quoque ſubſequitur LAMBERTVS patruus eius,
Qui regit has terras, Louanioque præeſt.
Nónne vides igitur quàm CLARI SANGVINIS iſtos
VENA venuſtauit, TROICA quippe fuit.

Duces Brabantiæ à Gerbergâ, Caroli Ducis maiore natu filiâ, oriundi, à Dintero paſſim dicuntur *orti de propagine Troianorum:* & Wenceſlaus Romanorum ac Bohemiæ Rex, qui ab iiſdem Ducibus per feminas prodibat, *de Troianorum progenie ſe deſcendiſſe* palàm iactabat. Dint. l. 6. cap. 37.

Iam age, vir erudite, & vel vnum Scriptorem antiquum exere, qui hanc ab Anchiſe & Troianis originem, etſi fabuloſam, tribuat Hugoni Capeto? Contrà Æneas Syluius ante annos ducentos affirmauit, Troianam Francorum proſapiam iam pridem defeciſſe; vbi LADISLAVM Regem Hungariæ puerum, ALBERTI II. Imperatoris AVSTRIACI filium, ſic allocutus eſt: *Nemo eſt in Orbe toto, qui Te generis claritate præcellat: nemo par eſt: multumque diſtet neceſſe eſt, qui Tibi ſecundus ponatur. Fabulantur Gallici* TROIANAM PROSAPIAM; *ſed illa* IAM DIV DEFICIT; TER*que, poſt Francorum in Galliam tranſitum,* REGIAM STIRPEM *Gallici variarunt.* O præclarum viri planè magni (qui deinde ſupremus Chriſti Vicarius fuit) & verum ἀξίωμα pro Regum Auſtriacorum, ſupra Capetinos, honoris & ordinis prærogatiuâ! *Quòd autem Franci noſtri*, inquit Hadrianus Turnebus, *ſe ſtirpe Troianorum ſatos putarunt, id æmulatione Romanorum fecere; quos cùm eo Stemmate & eâ nobilitate inſoleſcere viderent, idem decus ſibi voluerunt arrogare.*

Epiſt. 13.

Lib. 24. Aduerſ. cap. 37.

GRADVS III.

PIPINVS DVX ET MAIOR DOMVS.

PIPINVS, Anſigiſi & Beggæ filius, ab Heriſtallo palatio prope Iopiuillam *Heriſtallius* cognominatus, duas habuit vxores vno eodemque tempore. De priori ita Fredegarius Scholaſticus, Scriptor octaui ſæculi, in Chronico, quod iubente Childebrando Duce ſcripſit: *Erat ei vxor nobilis & prudentiſſima nomine* PLICHTRVDIS; *genuitque ex eâ* FILIOS DVOS; *nomen ſenioris* DROGO; *nomen verò iunioris* GRIMOALDVS. Codex MS. Stabulenſis in marginalibus notis ad Bedæ Chronicum: PIPINVS, *filius Beggæ, quæ fuit filia Pipini Principis, ſoror S. Gertrudis, fit Maior Domus totius Franciæ ſubiugato Theodorico: qui &* DROGONEM *filium ſuum facit Ducem Campaniæ; minorem verò* GRIMOALDVM, *Ducem ſub Clodoueo & Hildeberto, filijs Theodorici.* Suſceperat filios illos Pipinus Herſtallius ex PLECTRVDE, priori & legitimâ coniuge. Sic autem Fredegarius de poſteriori, quam Pipinus vetito connubio ſibi copulauit: *Pipinus aliam duxit vxorem nobilem & elegantem, nomine* ALPHEIDAM, *ex quâ genuit* FILIVM, *vocauitque nomen eius linguâ propriâ* CAROLVM; *creuitque puer elegans, atque egregius effectus eſt.* Hæc etiam Fredegarij verba ſunt in Hiſtoriæ ſuæ prologo: *Acta Regum, & bella gentium quæ geſſerunt, legendo ſimul & audiendo, etiam & videndo cuncta, quæ certificatus cognoui, huius libelli volumine ſcribere*

Cap. 100.

Cap. 103.

bere non ſilui: ſed & curioſiſſimè quantum potui inſerere ſtudui. Ille ergo perquam accuratè Pipini Herſtallij ex vtrâque coniuge natos enumerauit; è quorum numero ſi fuiſſet CHILDEBRANDVS, haud dubiè præclaros eius à Pipino natales non omiſiſſet Hiſtoricus, qui eius iuſſu *Geſta Francorum* DILIGENTISSIME *ſcribebat*, vti legitur ad finem Chronici in MS. Codice Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis.

Accedit aliud Chronicum vetus ex Codice MS. Ioannis Tillij: *Hic* PIPINVS *de* PLECTRVDE *vxore habuit filios* DVOS, DROCVM *&* GRIMOALDVM: *de aliâ vxore habuit* CAROLVM *Primum.* Addo Geſta Regum Francorum, & Moiſſiacenſe Chronicum: *Erat autem* PIPINO *vxor nobiliſſima & ſapientiſſima nomine* PLECTRVDIS: *ex ipsâ genuit* FILIOS DVOS; *nomen maioris* DROGO, *nomen minoris* GRIMOALDVS. *Habebatque* PIPINVS *præfatus Princeps* FILIVM *ex aliâ vxore* ALPAGEDE *nomine* CAROLVM, *virum elegantem, egregium atque vtilem*. Conſentit Genealogia S. Amulphi Metenſis ſcripta anno M. C. VIII. hoc eſt, ſub Ludouico VI. Rege Capetino: ANCHISVS *genuit* PIPINVM *Maiorem Domus ex* BEGGA, *ſorore* S. GERTRVDIS *de Niuellâ. Hic genuit* GRIMOALDVM, DROGONEM, *Duces; &* CAROLVM *Regem, Martellum dictum, ex* ALPADE *ſorore* DODONIS, *qui* S. LAMBERTVM *Epiſcopum Leodienſem martirizauit.*

Præterea, ex tribus filiis Pipini Herſtallij iam recenſitis, Drogo diem obijt anno DCC. VIII. Grimoaldus autem Aprili menſe anni DCC. XIV. quo eodem anno menſe Decembri exceſſit è vitâ Pipinus parens, cui Carolus Martellus, tertius ordine filius, ſuperfuit ſolus. Fredegarius in Childebrandi Chronico: *Sequenti quoque tempore idem* PIPINVS *Dux ægrotans mortuus eſt: rexitque populum Francorum annis* XXVII. *reliquit* SVPERSTITEM CAROLVM *filium*. Cap. 104.

Auctor Vitæ Pipini Landenſis de Herſtallio: *Is Pipinus alijs ante ſe prædecedentibus filijs* KAROLVM SVPERSTITEM *non ſolùm dignitatis ſuæ heredem, ſed & virtutis reliquit*. Annales Francorum Metenſes fusè & perſpicuè: *Anno ab Incarnat. Domini* DCC. VIII. DROGO *filius* PIPINI *primogenitus defunctus eſt. Anno* DCC. XIV. *ægrotante* PIPINO *in Iopilâ villâ publicâ, quæ ſita eſt ſuper fluuium Moſam, cùm ad viſitandum eum* GRIMOALDVS *filius eius properaret, & ad orationem in Baſilicâ S. Lamberti martyris proceſſiſſet, & diutiùs in oratione pronus perſiſteret, à nequiſſimo viro, nomine Rangario, gladio percuſſus occubuit.* PIPINVS *verò Princeps de infirmitate conualeſcens, omnes qui in illo conſilio fuerant iuſtâ vltione interemit; in locumque Grimoaldi filium eius paruulum ex concubinâ natum, nomine Theobaldum, Maiorem Domus cum Dagoberto Rege conſtituit.*

Eodem

Eodem quoque anno [DCC. XIV.] *Pipinus Princeps iterùm moleſtiâ corporali correptus, circunſitus gentibus Francorum dominationi ſubactis, in pace obijt* XVII. *Kal. Januarij. Rexit autem populum Francorum annis* XXVII. *& menſibus ſex: reliquitque* SVPERSTITEM FILIVM *nomine* KAROLVM.

Defuncto autem PIPINO, *maxima conturbatio orta eſt in gente Francorum: nam maiores natu filij eius*, DROGO *&* GRIMOALDVS, *ipſo* VIVENTE VITA DISCESSERANT. *Theobaldus verò, Grimoaldi ex concubinâ filius, adhuc puer erat; qui etſi Patri in Principatu ſucceſſerat, minimè tamen tantum Regnum dignè gubernare præualebat.* KAROLVS *verò*, QVEM SOLVM *Pater dignum heredem tantæ poteſtatis* SVPERSTITEM RELIQVERAT, *nouercales inſidias grauiter tolerabat.*

Probat. pag. 68. Hunc eumdem contextum Bouchetus retulit, ſed prætermiſſis dolosè poſterioribus periodis; ex quibus quia conſtat relictum à Pipino SOLVM ex filiis CAROLVM SVPERSTITEM, CHILDEBRANDVS abſque dubio Pipini filius non fuit; quippe qui diu poſt eius obitum (qui contigit anno DCC. XIV.) ſuperſtes, pro Carolo Martello bis bellum geſſit, annis DCC. XXX. & DCC. XXXVIII. & iterùm pro Pipino Breui, Martelli filio, anno DCC. XL. vti Fredegarius litteris conſignauit. (Vignerius in Chron. Burgund.) In ſummâ, nullus priſci æui Scriptor inter Pipini Herſtallij filios Childebrandum cenſuit:

Phœdrus lib. 3. 49.

Ergo exploranda eſt veritas multùm priùs,
Quàm ſulta prauè iudicet ſententia.

GRADVS IV.

CHILDEBRANDVS DVX ET COMES.

VT autem probaret Dominicus, Childebrandum Pipini Herſtallij filium fuiſſe, & Caroli Martelli Germanum fratrem, adduxit hæc Fredegarij verba de Carolo Martello: (Cap. 109.) *At contra* [Saracenos Auenionem ingreſſos] *vir egregius* CAROLVS *Dux* GERMANVM SVVM, *virum induſtrium*, CHILDEBRANDVM *Ducem, cum reliquis Ducibus & Comitibus, illis partibus cum apparatu hoſtili dirigit.* Tum paucis interiectis: *Denuò curriculo anni illius menſe ſecundo prædictum* GERMANVM SVVM, *cum pluribus Ducibus atque Comitibus, commoto exercitu, partibus Prouinciæ dirigit.* Vt ergo Fredegarij mentem planè aſſequamur, vis & notio vocabuli *germanus* in primis eſt examinanda.

Feſtus Pompeius: GERMEN *eſt, quod ex arborum ſurculis naſcitur: vnde &* GERMANI, *quaſi eâdem ſtirpe geniti.* Gloſſæ meæ veteres membra-

membraneæ: *Germen, initium floris. Germina, ſemina. Pollulat, germi-*
nat, naſcitur, oritur. Hinc *germinare* à plantis ad homines tranſla-
tum, pro *generare* & *producere* vſurpant Regino Prumienſis, & An-
nales Metenſes. vbi de populosâ Germaniâ: *Multæ quoque ex eâ,* Ad an.
pro eo quòd tantos mortales GERMINET, *quantos alere vix ſufficit,* 889.
frequenter gentes egreſſæ ſunt. Germaniam idcircò vocat Solinus *diui-* Cap.23.
tem virorum terram, frequentem populis numeroſis & immanibus. Ad-
dit S. Iſidorus: *Vnde & propter fœcunditatem* GIGNENDORVM *po-* Lib.14.
pulorum GERMANIA *dicta eſt.* Eâdem metaphorâ *germen*, quaſi *geni-* cap.4.
men aut *generamen*, pro ſemine & ſtirpe ab æui medij Scriptoribus
plereque acceptum. Regino de S. Arnulpho Metenſi: *De cuius ſan-* Anno
cto GERMINE *Germanorum Francorum proſapia pullulauerat*. Rothai- 880.
dis filia Pipini Regis in ſuo ſepulchrali elogio: Anno

Quæ GENVS *excelſo nimiùm de* GERMINE *duco.* 810.

Saxonicus Poëta de Principibus, à quibus Carolus Magnus ortum Lib. 5.
ducebat:

Vnum commemorem tanto de GERMINE *Patrem,*
Quem ſancta Chriſti prædicat Eccleſia:

Arnulphum ſcilicet. Idem Vates de RHVOTRVDE Caroli Ma-
gni filiâ, Conſtantino VII. Imperatori Orientis deſponſata an-
no DCC. LXXXI.

Inclyta Conſtantinopolis de GERMINE *noſtri*
Optabat KAROLI *nobilior fieri.*

Eodem intellectu Albericus Guillelmum S. Benigni Diuionenſis Ad an.
Abbatem *alto ſatis* GERMINE *& nobili proſapiâ oriundum* ſcribit. 990.
ſic etiam ille de Henrico III. Imperatore: *In eo dignitas Imperialis,* Ad an.
quæ per longum tempus à SEMINE KAROLI *exulauerat, ad generoſum* 1040.
& antiquum GERMEN KAROLI *reducta eſt*: per matrem ſcilicet
Giſelam, quam Otho Friſingenſis *oriundam* tradit *de antiquo & glo-* Lib. 6.
rioſo SANGVINE *Carolorum.* cap.28.

Aduertendum deinde, duplicem eſſe fraternitatem, propriam ſci-
licet ex naturali propinquitate; & impropriam ex amicitiâ & ſtudio.
De iſtâ Quinctilianus: *Certè quoties blandiri volumus his, qui eſſe* Declam.
AMICI *videntur, nulla adulatio procedere vltra hoc nomen poteſt, vt* 321.
FRATRES *vocemus.* Eucherius ſimiliter: *Fratres, ſorores, patres & ma-* Hom.4.
tres, vxores & filij dicuntur, non naturâ, ſed officio & affectione: quos enim Apoſt.
diligimus, his nominibus vocare ſolemus. Sic Edui, Bataui, Aruerni,
quia amici, fraternitatis nomen cum populo Romano vſurparunt.

Altera fraternitas propria, & quæ oritur ex neceſſitudine ſangui-
nis, vel latiore ſumitur ſignificatu, vel ſtricto: latiore vſurpatur in

Diuinis Scripturis, in quibus *fratrum* nomine *cognati* ſæpè intelli-
Baron. in appar. n.41. Tyrinus lib. 4. Chronici ſacri. guntur. Exempli causâ: D. Paulus *Iacobum Alphæi* vocat *fratrem Domini*, qui verè Chriſti conſobrinus erat in ſecundo gradu: Maria enim, Chriſti mater, Alphæi, patris S. Iacobi minoris, conſobrina erat in primo. Sed en aliud exemplum ex Elegiacorum Principe, (qui eodem primo ſæculo vixit) apud quem Hermione ad Oreſtem
Ouid. Epiſt. 8. ſcribit, vt eam Pyrrho eripiat, nec patiatur diutiùs in vinculis eſſe:

VIR *precor* VXORI, FRATER *ſuccurre* SORORI:
Inſtant officio NOMINA BINA *tuo.*

Agamemnon & Menelaus germani fratres erant: ille ex Clytemneſtrâ genuit Oreſtem; iſte ex Helenâ Hermionem, quæ Oreſti patrueli ſuo nupta deinde fuit: illa tamen Oreſtem *ſuum fratrem* ſeque *ſorórem eius* nuncupat. Quin & ipsâ S. Auguſtini ætate, qui florebat anno Chriſti CD. XX. conſobrinis indita eſt fratrum appellatio. ſic
Lib. 15. de Ciuit. Dei c.16. enim ille de iure coniugiorum: *Quod fiebat cum* CONSOBRINA, *penè cum* SORORE *fieri videbatur: quia & ipſi inter ſe, propter eam propinquam conſanguinitatem*, FRATRES *vocantur, & penè* GERMANI *ſunt.*
Serm. 49. Petrus etiam Chryſologus æuo ſuppar: *Vſus*, ait, *temporis etiam præſentis germanorum & germanarum filios* FRATRES *noſcitur nuncupaſſe.*

Stricto ſenſu rurſum ſumpta fraternitas propria triplex eſt. Primi generis fratres ſunt, qui ex vtroque parente nati, quos Iureconſulti vocant *germanos fratres*; Demoſthenes ὁμοπατρείως καὶ ὁμομητρείως. Ad
Lib. 2. de Abraham. quæ D. Ambroſij pulchra eſt iſthæc cogitatio: *Omnes homines vnius naturæ partus ſunt, iuxta eius concepti viſcera, &* VNO *fœti atque effuſi* VTERO: *vnde nobis iure quodam* GERMANITATIS *veluti* FRATRES *connectimur, ab vno* PATRE *conditi.*

Alterius generis fratres ex eodem tantùm patre nati ſunt, ſed non
Lib. 7. Sent. ex eâdem matre; dicti ὁμοπατρεῖοι & *conſanguinei.* Paulus I.C. diſertè: *Conſanguinei ſunt eodem patre nati, tamen diuerſis matribus.* Vnde & à Cteſia ſoror conſanguinea dicitur ὁμοπατρεία ἀδελφή.

Tertij porrò generis fratres eâdem matre geniti ſunt, ſed diuerſis
Inſt. l. 3. de Bonor. poſſeſſ. patribus, Græcis ὁμομητρεῖοι, Iuſtiniano *vterini.* Atqui Fredegarius eiuſmodi ſenſu triplici *fratres* vno nomine *germanos* abſolutè nuncupauit; vtpote qui auctore Feſto *omnes à* GERMINE *dicti ſint* ſeu paren-
In Chron. Childebr. cap. 110. tis vtriuſque, aut patris dumtaxat, vel matris tantùm. *Carlomannus*, inquit Fredegarius, *deuotionis causâ in inſtinctu ſuccenſus, Regnum vnà cum filio ſuo Drogone manibus* GERMANI SVI *Pipini committens, ad limina beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romam in Monachorum ordine perſeueraturus aduenit.* Annales Francorum eâdem locutione

vtuntur.

vtuntur. Bertiniani: *Tunc Carlomannus confeſſus eſt Pipino* GERMANO SVO, *quòd decreuiſſet ſæculum relinquere*. Metenſes: *Carlomannus*, GERMANVS *Domni Pipini Regis*. Carlomannus & Pipinus Caroli Martelli & Rotrudis coniugum filij erant, & ſic ex vtroque parente fratres. Ad an. 745. Ad an. 754.

Exemplum de ſecundo fratrum genere ex eodem Fredegario: *Hij* TRES GERMANI, *Sigebertus, Guntrannus, & Chilpericus, Trecas iunxerunt*. Et paulò inferiùs, vbi adfert S. Germani Pariſiorum Epiſcopi verba ad Sigebertum Regem, qui Chilpericum fratrem ſuum conſanguineum bello turbabat: *Si* GERMANVM TVVM *ita perſequere cogitas, vt eum interficere diſponas, & Regnum ſuum auferres, ſcriptum eſt: Foueam, quam* FRATRI TVO *parabis, in eam cades*. Guntrannus, Sigebertus, & Chilpericus, Clotarij I. Regis filij erant; ſed Guntrannus & Sigebertus ex INGVNDE matre, Chilpericus ex ARIGVNDE: illos tamen omnes Fredegarius *germanos* appellat. In Hiſtor. Epitom. cap. 71.

Præterea hæc ſunt alio loco verba Fredegarij de Rege Pipino Bonnæ ad Rhenum agente: *Nuncius venit ad præfatum Regem de partibus Burgundiæ, quòd* GERMANVS *eius nomine* GRIPHO *interfectus eſt*. Ita quoque Annales Bertiniani: *Nunciatum eſt ei, quòd* GRIFO, *qui in Waſconiam fugit*, GERMANVS EIVS *occiſus fuiſſet*. Carolus Martellus vxorem habuit HROTRVDEM, aliàs GELTRVDEM, ex qua genuit filios Carlomannum & Pipinum: habuit quoque SVANICHILDEM concubinam, ex quâ Griphonem tulit. Eginarthus in Annalibus: *Hoc anno* CAROLVS *Maior Domus diem obijt, tres filios heredes relinquens*, KAROLOMANNVM *ſcilicet*, PIPINVM *atque* GRIFONEM: *quorum* GRIFO, *qui ceteris minor natu erat, matrem habuit nomine* SVANIHILDEM, *neptim Odilonis Ducis Baioariorum*. Annales Metenſes de Carolo Martello: *Tertio filio ſuo* GRIPPONI, *quem ex* SONIHILDE, *quam de Bauaria captiuam adduxerat, habuit, ſuadente eâdem* CONCVBINA SVA *partem ei in medio Principatus ſui tribuit*. Hermannus Contractus Caniſij: GRIPHO, *ex concubinâ frater Pipini, tyrannidem affectans ad Saxones ſe contulit: Pipinóque adueniente, pacificari cum eo nolens, in Baioariam fugit*. In Chron. Nibelungi. Anno 753. Annò 741. Anno 741. Anno 748.

Pipinus ergo & Griſo eodem patre Carolo Martello geniti erant, ſed ille ex coniuge Hrotrude, iſte ex concubina Suanichilde: illos tamen Fredegarius *germanos* appellat. Quo eodem intellectu Arnobius aduerſus Gentes: *Picus & Iuppiter* GERMANITATIS *ſibi ſociati iure, vtpote vno ex ſanguine vnoque ex ſemine procreati erant*; patris Saturni ſcilicet; illis enim diuerſas matres Poëtæ aſſignant. Guido Baſochius etiam perſpicuè: *Regnum Lotharij, quod* FRATRI SVO Lib. 1. Ad an.

B 2 *iure* 871.

iure ſucceſſionis debebatur Imperatori LVDOVICO, *cui paganis ab Italiâ propellendis intento regredi non licebat ſine populi Chriſtiani detrimento, Francorum Rex* CAROLVS CALVVS *occupauit. Sed diſsidentibus ab eo terræ potentibus, & inſurgente magnis viribus aduerſus eum* SVO, *Germanorum Rege*, GERMANO LVDOVICO, *pro Regno* NEPOTIS *reſtituendo, relicto quod inuaſerat, vix euaſit.* Ludouicus I. Rex Germaniæ, & Carolus Caluus Rex Franciæ, ex patre Ludouico Pio conſanguinei dumtaxat fratres erant, ὁμοπατρίοι: nam Ludouici Ermengardis mater erat, Iuditha Caroli. Guido tamen *Ludouicum* vocat *Caroli germanum*; ſcilicet ex eiuſdem patris germine, non autem
Ad an. 876. matris, procreatum. Metenſis Annaliſta & Prumienſis Abbas eodem ſenſu narrant, poſt mortem Ludouici I. Regis Germaniæ, quæ Francofurti contigerat, Carolum Caluum rurſus Regni eius partem vi occupaſſe; ad quem Legatos ſtatim direxit Ludouicus II. Rex, Ludouici vitâ functi filius, *orans, vt memor eſſet* GERMANITATIS *atque conſanguinitatis: memor eſſet iuramenti, quod* FRATRI SVO *fecerat.* Illa porrò *germanitas*, ἀδελφότης, inter Ludouicum I. & Carolum Reges erat ſolùm ex parte patris Ludouici Pij, quia ex diuerſis matribus prodierant, vt iam monui.

Ad vltimum, de tertio genere fratrum, idem etiam Fredegarius,
In Chron. Childebr. cap. 109. vbi loquitur de Carolo Martello: GERMANVM SVVM *Childebrandum Ducem cum apparatu hoſtili dirigit*. Carolus Martellus ſine controuerſiâ Pipini Herſtallij filius erat. Conſtat autem, Childebrandum Pipini Herſtallij filium non fuiſſe, cùm inter eius proles à nemine annumeretur, ne ab ipſo quidem Fredegario, qui eius iuſſu Herſtallij liberos ſedulò percenſuit: ſupereſt igitur clarâ certâque conſequentiâ, *Childebrandum* ex laudato Fredegario fuiſſe Martelli *verum fratrem* ac GERMANVM, ſed *vterinum*; hoc eſt, ex eiuſdem cum Martello matris germine procreatum, *Alpaidis* ſcilicet, quam ſibi aſſumpſit Pipinus, ſiue eam à marito adhuc viuente abſtraxit;
Aimoinus lib. 1. c. 8. vt Childericus Rex Francorum Baſinam Biſſini Thoringorum Re-
Ado Vien. gis vxorem; ſiue iuuenculam & formoſam viduam, iamque ex de-
& alij. functo marito Childebrandi matrem, vxori ſuæ legitimæ Plectrudi
Anno 698. ſuperinduxit. Sigebertus Gemblacenſis: *Sanctus* LAMBERTVS PIPINVM *Principem increpare auſus, quòd pellicem* ALPAIDEM *ſuæ legitimæ vxori* PLECTRVDI *ſuperduxerit, à Dodone fratre ipſius* ALPAIDIS *Leodij martyriſatur, & Traiecti tumulatur.* Conſentiunt Beda, Vſuardus & Ado in Martyrologiis. Et Beda quidem vetuſtior
17. Sept. (qui exceſſit è viuis anno DCC. XXXIV. imperante Francis Carolo Martello, Alpaidis filio) hiſce verbis: *Tungrenſi Dioceſi, Leodio villa publica,*

publica, natale ſancti LAMBERTI *Epiſcopi, qui dum* REGIAM DOMVM *zelo religionis increpaſſet, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquiſſimis viris de Palatio miſſis ex improuiſo concluſus intra domum Eccleſiæ occiditur, cuius ſepulchrum celeberrimis miraculis illuſtratur.* Eadem narrant Regino Abbas Prumienſis, Nicolaus Leodienſis Canonicus, Renerus ad S. Laurentium monachus, & multi alij. Apud Chapeauille.

Hîc autem ſeriò aduertendum, quòd etſi (Baronio tradente) *omnes tam veteres quàm recentiores Hiſtorici abſque controuerſiâ affirmarint, à S. Lamberto Tongrenſi Epiſcopo factam Pipino Herſtallio obiurgationem, ob introductam pellicem Alpaidem;* Fredegarius tamen, Childebrandi Ducis Hiſtoricus, illud datâ operâ reticuit, quinimò *Alpaidem* abſolutè vocauit *vxorem Pipini nobilem & elegantem;* planè vt Childebrando, ex alio thoro Alpaidis filio, gratificaretur, eiuſque matris probro velum obtenderet. Et quamuis Childebrādi auunculus Dodo (vir nobilis ac potens, ſed ſceleratus, qui arcem in Aurotano agro Iupiliæ viciniam inhabitabat) tanto decori ſibi antè adſcripſiſſet fratrem eſſe Alpaidis, vt S. Lambertum, qui Pipinum Iupiliæ incolam de illicito illo connubio obiurgauerat, occiderit: Childebrandus tamen ne vulnus refricaret, quod in cicatricem coaleſcere optabat, ſat ſibi laudis eſſe cenſuit, ſi de induſtriâ à Fredegario CAROLI MARTELLI, rectè factorum famâ Principis inclyti, GERMANVS nuncuparetur, cuius frater vterinus tantùm erat. Quod equidem ab Hiſtorico illo proprio perquàm aptè pronuntiatum iam oſtendo. Anno 698. n. 1. Nicol. Leodienſ. cap. 14.

Soboles ex eâdē matre, ac variis patribus progenitæ (quales erant Childebrandus & Carolus Martellus) non minùs FRATRES ac SORORES vocantur, quàm quæ eodem patre matribuſque diuerſis. Exempla eius appellationis obuia ſunt apud veteres: de fratribus adoptiuis non ita; de quibus tamen extat hoc illuſtre monumentum: Genuerat Agrippina Auguſta ex priore marito Cneo Domitio Ænobarbo Neronem: ſecundis deinde nuptiis Claudio Cæſari copulata nullas ex eo proles ſuſcepit; ſed filij ſui Neronis adoptionem à vitrico impetrauit. Claudius ex aliâ vxore Meſſalinâ Britannicum genuerat atque Octauiam, quam Agrippina nouerca Neroni filio ſuo in coniugem elocauit; à quo poſteà Poppææ adulterinis amoribus dementatò dirè necari iuſſa; cùm priùs etiam Britannicum, Octauiæ vxoris ſuæ fratrem, rapidiſſimo veneno ſuſtuliſſet. Cùm tamen Neronis, qui adoptione in Imperium irrepſerat, ſcelerā narrat Tacitus, Britannicū eius FRATREM abſolutè, & Octauiam eius SOROREM appellat. NERO *intellectâ inuidiâ odium intendit; vrgentibuſque Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque iubere cædem* Lib. 13. Annal.

FRATRIS *palàm audebat, occultè molitur.* Tum inferiùs: *Nox eadem necem* BRITANNICI *& rogum coniunxit, prouiſo antè funebri apparatu, qui modicus fuit. In campo tamen Martio ſepultus eſt, adeò validis imbribus, vt vulgus iram Deûm portendi crediderit aduerſus facinus, cui plerique hominum etiam ignoſcebant, antiquas* FRATRVM *diſcordias & inſociabile Regnum exiſtimantes.* Tum poſt nonnulla: *Feſtinationem exſequiarum edicto Cæſar defendit, id à maioribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompâ detinere: ceterùm & ſibi amiſſo* FRATRIS *auxilio, reliquas ſpes in Rep. ſitas.* Alio autem loco

Lib. 14. Annal. ſic de Octauiâ: *Paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur; cùm iam viduam ſe, & tantùm* SORОREM *teſtaretur:* hoc eſt, repudiatam, neq; ampliùs Imperatoris vxorem, ſed ſororem: cùm tamen NERO Octauiæ, Claudio & Meſſalinâ genitæ, adoptiuus dumtaxat frater eſſet.

In 5. Æn. Verùm enim verò ſic omnino ad Fredegarij mentem Seruius in Virgilium; etſi aliâ quàm Feſtus *germani* originatione: GERMANVS *eſt, ſecundùm Varronem in libro de Gradibus,* DE EADEM GENITRICE MANANS; *non, vt multi dicunt, ab eodem germine: ſecundùm quem benè nunc* ERICEM, *Butæ & Veneris filium,* ÆNEÆ *dicit eſſe* GERMANVM. Fabulantur Poëtæ ERICEM & ÆNEAM Veneris fuiſſe filios; ſed

Lib. cit. v. 412. illum Bute, hunc Anchiſe patre genitum. Vnde Entellus ad Æneam, Ericis vterinum fratrem, dixit:

Hæc GERMANVS *Erix quondam* TVVS *arma gerebat.*

Verſ. 12. quo eodem ſenſu Æneæ priùs dixerat Palinurus:

——————— *nec littora longè*

Fida reor FRATERNA *Ericis, portuſque Sycanos.*

Lib. 9. c. 6. Prætereà Varronis in Latinâ linguâ ſectator ſanctus Iſidorus, Hiſpalenſis Epiſcopus, Fredegarij contemporaneus, in hæc verba locutus eſt: GERMANI *ex eâdem genitrice manantes.* VTERINI *vocati, eò quòd ſint ex diuerſis patribus, & vno vtero editi.* GERMANA *ita intelligitur vt* GERMANVS, *eâdem genitrice manans.*

Ad Iſidori mentem, & Fredegarij ſenſum, aliud à decimo ſæculo exemplū accerſo lubens. Hugo Rex Italiæ & Guido Marchio Tuſciæ ex eâdem matre Bertâ Lotharingâ vterini fratres erant: prior namq; Theobaldo Comite, poſterior Adelberto Marchione genitus erat: illos tamē Luitprandus *germanos* nuncupat, vbi Maroziam ſic arguit:

Lib. 3. cap. 12.
Quid Veneris facibus compulſa MAROZIA *ſæuis,*
CONIVGIS *ecce* TVI *ſpectas tu ſuauia* FRATRIS,
Nubere GERMANIS *ſatagens Herodia* BINIS?

Marozia, Guidonis vidua, cum Hugone vterino eius fratre matrimonium iniuit; & ſic duobus germanis inceſtuoſa nupſit.

Ad

Ad hæc, non latet, Dominice, Iuſtinianum tuum agnatos à cognatis ita diſtinxiſſe, vt illi ſint, qui per mares coniunguntur, iſti qui per feminas. Quo loci notatum ab Interpretibus, agnatos reſpondere genti, cognatos ſtirpi, Tullij ſuffragio, cuius hæc ſunt verba: *Cum Marcelli à Liberti filio* STIRPE, *Claudij Patritij eiuſdem hominis hereditatem ad ſe rediiſſe* GENTE *dicerent*. Vbi Ludouici Cerdæ ſententia eſt, Marcellos per feminam, Claudios per marem in hereditatem deuolui; dum hæc Iunonis apud Virgilium verba interpretatur:

Inſtit. de Legitimâ agnatorum tutelâ.

Lib. 1. de Orat.

Lib. 7. Æn.

Heu STIRPEM *inuiſam, & fatis contraria noſtris*
Fata Phrygum. ———

Troiani enim, ait Cerda, per Electram à Ioue ortum ducebant. Itaque quia Feſtus *germanos* facit *quaſi eâdem ſtirpe genitos*; & quia *ſtirpi* reſpondent *cognati*, ſeu femineo nexu iuncti; haud dubiè Fredegarius pro materno fratre, ſeu vterino, rectè *germanum* dixit, hoc eſt, γνήσιον, verum & legitimum.

Sed & ad illam quoque ex maternâ parte germanitatem alludere viſus eſt Petrus Cellenſis, vbi ſcripſit, *amicitiam* GERMINARE COGNATIONE, *creſcere familiaritate, frondeſcere conſuetudine*. Specialiter enim *cognati dicuntur, qui per feminas coniunguntur*.

Lib. 7. Epiſt. 7. L. vlt. §. 1. ff. de Grad.

Sic ergo planè ſoluitur Gordius ille Fredegarij nodus, vt Childebrandus fuerit Caroli Martelli *germanus*, ſed *vterinus*; quod Hiſpani ſcitè dicunt *hermano de madre*. Cuius *germani* ſignificationis Auctores adduximus, [a] Varronem, *Linguæ Latinæ peritiſſimum*; [b] Virgilium, *Latini eloquij magnum auctorem*; [c] Seruium, *Virgilij diligentiſſimum interpretem*; [d] Iſidorum Hiſpalenſem, *Grammaticum neceſſarium, in quo pleraque, quæ nuſquam alibi*; & [e] Luitprandum, *Græco & Latino ſermone peritum, nec minùs carmine elegantem quàm proſâ*. Rectè igitur & commodè locutus eſt Fredegarius, vbi Childebrandum, Martelli ὁμομήτριον, vocauit *eius germanum*; vt etiam ſcitè Chilpericum, Sigeberti ὁμοπάτριον, eâdem *germani eius* appellatione inſigniuit.

[a] Fabius lib. 10. c. 1.
[b] Auguſt. lib. 10. de Ciuit.
[c] Giſanius Apol. pro Poëtis Lat.
[d] Dempſterus.
[e] Trithem. de Script. Eccleſ.

Adde, quòd Fredegarius in Chronico Childebrandi videtur non infrequenter Hiſpaniſmum affectaſſe: quam enim Gregorius Turonenſis *Hiſpaniam*, ille *Spaniam* nuncupat; quæ linguâ patriâ effertur *Eſpaña* ex vſu vulgi, quod Latinis vocabulis ab S incipientibus præponere ſolet E: vti patet in dictionibus, ſcutum, *eſcudo*, ſpecies, *eſpecies*, & ſimilibus. Vbi etiam alij Latini *fratrem* & *ſororem*, Fredegarius vbique ferè dixit *germanum* & *germanam*; quod eſt Hiſpanis *hermano y hermana*, litterâ G in H mutatâ: vt illi etiam

hierno

hierno dicunt pro *genero*. Denique vt Hiſpani proprios fratres nuncupant *hermanos*; ſic etiam fratrum & ſororum filios, ſiue patrueles, & conſobrinos, vocant *primos hermanos*, quaſi in primo infra veram fraternitatem gradu *germanos*: filios autem patruelium & conſobrinorum nuncupant *primos ſegundos*. De iſtis ſingulare extat exemplum apud Sebaſtianum Salmanticæ Epiſcopum, qui ante annos ſeptingentos vixit: *Ramirus vt didicit* COGERMANVM SVVM IN SECVNDO GRADV *Adefonſum Caſtum à ſæculo emigraſſe, & Nepotianum Regnum inuaſiſſe, Lucenſem Gallæciæ ciuitatem ingreſſus eſt.* Alfonſus Caſtus & Rauimirus Reges filij erant duorum patruelium, ille Froylæ, iſte Veremundi Regum, & ſic infra veram fraternitatem in ſecundo gradu germani. Paucis verbis: Cùm Fredegarius Gothorum Regum geſta accuratè referat, credi par eſt illum aliquamdiu in Hiſpaniâ vixiſſe, ibique Romanicæ Hiſpanorum linguæ aſſuefactum. Iam obſerua ex Edmundo Dintero Alpaidem illam, Dodonis ſororem, Childebrandi & Caroli Martelli matrem, *fundaſſe Eccleſiam & Canonicorum collegium in Hugardis, multaque contuliſſe Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis: ipſam autem in Eccleſiâ de* ERP *prope Geldoniam in Brabantiâ ſepultam eſſe.* Sed audi etiam de illâ Bartholomæum Fiſen in Legiâ ſacrâ: *Quæ prima nefariæ impietatis fuerat incentrix, ſociis culpæ dirâ morte conſumptis, ipſa præclaris virginum exemplis eò adducta eſt, vt præteritæ vitæ damnatâ turpitudine, ſanctisque ſuppliciis expiatâ, monaſticen deinceps integritate magnâ coluerit, vitamque clauſerit perſanctè, relicto poſteris egregiæ pœnitentiæ monumento.*

Erâ 880.

Vide Lumina prærog. pag. 348.

Lib. 5. cap. 25. & 26.

Lib. 5. pag. 164.

Verùm adhuc reſtat ſcrupulus, quem mouit Matthæus Zampinius ex hiſce Fredegarij verbis de Pipino Breui, Martelli filio, nondum Rege: PIPINVS *Dux commoto exercitu cum* AVVNCVLO SVO CHILDEBRANDO *Duce, & multitudine primatum & agminum ſatellitum plurimorum, ad Burgundiam dirigunt.* Ex illis infert Zampinius, Pipini Breuis matrem fuiſſe Childebrandi ſororem, adeoque Childebrandum non fuiſſe Caroli Martelli, ſed vxoris eius fratrem. Cui ſenſui fauere videtur M. Tullius, qui pro domo ſuâ, & de Aruſpicum reſponſis, *Q. Metellum*, qui P. Clodij ſororem duxerat, vocat *P. Clodij fratrem*. Sed obſeruaſſe debuerat Zampinius Italus, *patruum* & *auunculum* vnicâ voce *oncle* à Francis efferri; ex quibus, qui Latinè ſcripſerunt, non rarò *auunculum* pro *patruo* vſurparunt. Adde quod Fredegarius *Childebrandum* bis vocauit *Caroli germanum*; quod ad ſororis maritum trahere violentum eſſet, & longiùs acceſſitum.

Cap. 110.

De Orig. Hugonis Capeti.

Ceterùm quo patre natus ſit Dux Childebrandus, certis è vetuſtate teſtimoniis nondum liquet. Quamuis enim in Chronicis quibuſdam

buſdam & Genealogiis, Flodulſus, ſiue *Clodulſus*, S. Arnulphi filius, dicatur *genuiſſe Martinum Ducem:* in aliis tamen antiquis non legitur Martinum fuiſſe Childebrandi Ducis patrem, vt placuit P. Æmylio, cuius errorem Bouchetus reprehendit. Neque id annotare omiſiſſet Fredegarius, vbi narrat *Martinum Ducem cum Pipino deuictum, ad Laudunum clauatum confugiſſe, ibique cum ſociis ab Ebroino interfectum*; nullâ conſanguinitatis Martini cum Childebrando, cuius iuſſu ſcribebat, mentione. Lib. 2. Pag. 137. Cap. 97.

Itaque ex antè dictis clarum eſt, Childebrandum Ducem fuiſſe quidem Caroli Martelli germanum, ſed vterinum; adeoque non ex maſculino Carolinorum ſtipite ortum, quia Pipini Herſtallij filius non erat. *Vterini* autem *fratres* AGNATIONIS *ius non habent, ſed cognationis tantùm ſibi titulo connexi ſunt.* Vnde perſpicuè conſtat, iactatam à Boucheto HVGONIS CAPETI per Childebrandum VERAM ORIGINEM à Maioribus Domus regiæ prorſus commentitiam eſſe, eiuſque amplæ latitudinis paginas ſcombris tunicandis deſtinandas; vel certè ad honeſtiorem vſum deferendas eſſe L. 21. c. de excuſ. tutor.

—— in vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quidquid CHARTIS *amicitur* INEPTIS. Horat. lib. 2. Epiſt. 1.

GRADVS V.

NIBELVNGVS COMES MADRIACENSIS.

HVNC, quem Bouchetus *Comitem Madriacenſem* gratis appellauit, nunc Dominicus in Opere ſuo nouo *Comitem* ſimpliciter nuncupat; quo nudo honoris titulo inſignitur ad finem Chronici, quod Fredegarius iuſſu Childebrandi ſcripſit, vbi leguntur hæc verba à recentiore quopiam amanuenſi adiecta in ſolo Codice MS. Alexandri Petauij, abſuntque ab aliis omnibus, maximè ab antiquiſſimo Iacobi Sirmondi, qui litteris vncialibus eſt exaratus: *Vſque nunc inluſter vir* CHILDEBRANDVS *Comes, auunculus prædicti Regis Pipini, hanc Hiſtoriam, vel Geſta Francorum,* DILIGENTISSIME *ſcribi procurauit. Abhinc ab inluſtre viro* NIBELVNGO, *filio ipſius Childebrandi, itemque Comite, ſuccedat auctoritas.* Bouchetus ergo & Dominicus inconſultè Fredegario adſcribunt verba illa de Nibelungo Comite, qui à nemine ante Bouchetum *Comes Madriacenſis* eſt nuncupatus; quippe qui Wilcaſſini potiùs Comes erat, vt oſtendi lumine genealogico ſecundo. Pag. 169. Cheſne Tom 1. pag. 773.

GRADVS VI.
THEODEBERTVS COMES MADRIACENSIS.

ANDREAS Cheſneus in Tabulis Regum genealogicis, quas Tomo primo & ſecundo Scriptorum Franciæ publicè ſpectandas dedit anno M. DC. XXXVI. quadriennio antequam è viuis excederet, Nibelungum Comitem, Childebrando genitum, abſque poſteris protulit; cuius filium ſi crediſſet fuiſſe Theodebertum, & ab hoc exortos Capetinos Reges, illud dubio procul Genealogorum Franciæ primipilus ſilentio non inuoluiſſet.

Vt autem alienum huncce gradum cum præcedenti ferruminaret Bouchetus, probaretque Theodebertum fuiſſe Nibelungi filium, vnicum protulit teſtimonium; chartam nempe Pipini Regis Aquitaniæ pro Eccleſiâ S. Iuliani Briuatenſis apud Aruernos, quâ contineri aſſerüit iſthæc iam dicti Regis verba: *Pro incolumitate noſtrâ vxoriſque noſtræ* INGELTRVDAE *Reginæ, & pro remedio animarum* HERMINGARDAE *quondam Reginæ, genitriciſque noſtræ*; THETBERTI *&* NIBELVNGI *Comitum, patre & auo eiuſdem Ingeltrudæ*. Reſpondi affectatam eſſe, & ad fabulæ plauſum dimetitam cognationum
Pag. 166. hanc deſignationem. Inſurgit iam Dominicus, & ait; *Forulos, in quibus charta hæc reperitur, Bouchetum indicaſſe; lubenterque miſſurum exemplaria manu publicâ ſubſignata, & comparata cum autographo*. Admitto conditionem, eò magis veneraturus apographum, ſi auctoritate Pariſienſis Senatus munitum fuerit: tametſi non ſit quod inde aliqua aduerſario victoriæ ſpes affulgeat; cùm in chartâ illâ nullum verbum de Comite, aut de Comitatu Madriacenſi, quippe qui in rerum naturâ nuſquam fuit. Docui prætereà Thietbertum, Eginartho memoratum, fuiſſe *Comitem Matricenſem* in Auſtraſiâ; differre *Matricam* à *Madriaco*; illam in ortiuâ Franciâ, iſtud in occiduâ ſitum fuiſſe: quod cùm iam neget vir eruditus, addens nullam in Auſtraſiâ Matricam fuiſſe; pleniori poſthac diſputatione rem ſic examinabo, vt nullus deinceps dubitationi ſupereſſe poſſit locus.

GRADVS VII.
ROBERTVS I. COMES.

NARRATVR in Vitâ S. Genulfi, *Aganam, Wifredi Bituricenſium Comitis filiam, nupſiſſe* ROBERTO *cuidam, inſignis boneſtæque potentia viro, primoque Palatij Pipini Regis*. *Qui* ROBERTVS

ad

ad ſuæ nobilitatis excellentiam, regalis etiam Stemmatis PER SOROREM *adeptus erat conſortia, quam idem Pipinus vxorem duxerat.* Robertum hunc, per Aganam, *Saxiaci* (ſiue, vt in Martyrologio S. Laurentij Bituricenſis legitur, *Saciaci*) dominum fuiſſe in Biturigibus fatetur ipſe Dominicus. Hanc eius repperi mentionem in Vitâ S. Iacobi Eremitæ nondum editâ: *Erat ad minoris Saleræ ripam locus ſyluis circumſeptus, vbi dirutarum ædium antiqua monimenta multis in ruderibus apparebant: eò (obtentâ facultate à* ROBERTO *Saxiaci vici domino, in cuius ditione locus erat) diuertit cum monacho quodam Ioannis nomine; extructoque ex arbuteis cratibus & tortilibus geniſtis taguriolo, ædiculam ipſo tugurio minorem, vicinis in ſumptus neceſſarios eleëmoſynam conferentibus, aggreſſus eſt, in quâ, vt perfecta eſt, Sacrum fecit.* Roberti porrò ſoror erat *Ingeltrudis*, filia *Thietberti Comitis Matricenſis* in Auſtraſiâ, non Madriacenſis in Neuſtriâ, vt clarè poſthac oſtendemus. 19. Nou. cap. 6.

Ceterùm hoc loco percontor ab aduerſariis, de Madriacenſi Comitatu quid factum, cùm filios, quos Theodeberto tribuunt, illum poſſediſſe nullibi legatur: omiſerunt abſque dubio quempiam ex illis perſonâ illâ obuelare, vt laruatos pleroſque paſſim introduxêre.

GRADVS VIII.

ROBERTVS II. FORTIS.

HIC vti pro certo ſtipite Capetinorum Regum ab antiquis Scriptoribus conſtanter eſt habitus, ita & appellatus *Saxonici generis vir*, vel, *de genere Saxonum extractus*: qui ſi ortum duxiſſet à Ferreolis, Ansbertis, Arnulphis, Childebrandis, Nibelungis, & ſimilibus; ſequeretur, eos omnes ortu etiam Saxones fuiſſe; quos tamen è Narbonenſi Galliâ oriundos Bouchetus & Dominicus elatè prædicant.

Præterea, primum Comitis titulum, quem geſſit Robertus Fortis, fuit *Comitis Andegauenſis*, ex beneficio Caroli Calui. Otho Friſingenſis: Lib. 6. c. 2. KAROLVS ROBERTO VIRO FORTI *inter Ligerim & Sequanam Ducatum ad domandos Britones dedit.* anno 856. Guido de Baſochiis: *Fecit eum* ANDEGAVORVM COMITEM, *& adiacentis patriæ defenſorem.* Subiungit Albericus: *Hunc* ROBERTVM *fuiſſe* DE NOBILI GENERE SAXONVM Iuo Carnotenſis in quadam epiſtolâ teſtatur. *Ab hoc autem* ROBERTO *deſcendit genealogia Regis Francorum Philippi* [Secundi] *& anteceſſorum eius.* Hæc ſunt verò Iuonis verba: *Supererant duo filij* Epiſt. 89.

ROBERTI COMITIS ANDEGAVORVM, *qui fuit Saxonici generis vir.*

Lib.2.c.1. Aimoinus Floriacenſis de Normannis: *Obſtitit eorum ſæuis conatibus* ROBERTVS ANDEGAVENSIS COMES, *Saxonici generis vir, cui per id locorum à Rege ſumma rerum delegata fuerat.*

Anno 862. Annales Bertiniani: *Ludouicus, filius Caroli Regis,* ROTBERTVM *Patris fidelem impetit;* ANDEGAVVM, *& alios, quos adire potuit pagos, cæde, igni, deprædatione deuaſtat.* Rurſum alio loco: *Carolus Caluus* RODBERTO, *qui Marchio in* ANDEGAVO *fuerat, cum aliјs honoribus, quos habebat, Comitatum Autiſſiodorenſem & Comitatum Niuernenſem donauit.*

Anno 865.

Anno 872. Chronicum S.Sergij Andegauenſis: *Normanni* ROBERTVM ANDEGAVORVM *Comitem, Ranulphum Pictauorum Comitem, & alios multos generoſæ ſtirpis viros, qui patriæ terminos tuebantur, occiderunt.*

Ad an. 958. Albericus alio loco: *Auus autem Regis* HVGONIS, *Rex &* REGNI INVASOR ROBERTVS, *in bello Sueſſionenſi fuit occiſus: cuius frater Rex* ODO *dictus eſt, qui, cùm* KAROLVS *Simplex adhuc puer eſſet, tamquam tutor pueri Regnum Franciæ gubernauit, & maximè in Aquitaniâ regnauit. Et horum pater dictus eſt Comes* ROBERTVS, *fortis Marchio,* DE GENERE SAXONVM EXTRACTVS, *cui* KAROLVS *Caluus* COMITATVM ANDEGAVENSEM *dederat in beneficium*, tamquam VIRO FORTI *contra Britones & Normannos pugnaturo, & Regnum ex illâ parte defenſuro. Et iſte* ROBERTVS *à paganis Normannis fuit occiſus.*

Ex MS. Chronicum S.Benigni Diuionenſis in Bertilone Abbate: *Supererant duo filij* ROBERTI ANDEGAVORVM COMITIS, *fratris Hugonis Abbatis: ſenior* ODO *dicebatur, Robertus alter patrem nomine referens.*

Anno 887. Membrana vetus Floriacenſis ijſdem pænè verbis: *Supererant duo filij* ROBERTI ANDEGAVENSIS COMITIS, *quem gladio Normannorum ſuperiùs corruiſſe diximus; ſenior* ODO *dicebatur,* ROBERTVS *alter patrem nomine referens.*

Vides Dominice, Robertum Fortem antiquiori honore nuncupari *Comitem*, ſeu *Marchionem Andegauenſem*, nuſquam *Madriacenſem*, aut *Matricenſem*; quâ dignatione vſus fuiſſet, ſi à Madriaci aut Matricæ Comitibus proſapiam duxiſſet. Ab eiuſmodi enim locis & titulum quærebant nobilitati Magnates, & felici propagine honorem, ex Regum beneficio, transfundebant in nepotes. Atqui nec Robertus Fortis, nec vlli ab eo progeniti, illo *Comitis Madriacenſis* aut *Matricenſis* titulo vſquam ſunt vſi; quippe qui ad ipſorum maiores nullo modo attinuerat.

Pag.179. Quod addis, ex Annalibus Bertinianis indicari, Robertum Fortem, antequam Carolo Caluo militaret, in Aquitaniâ domicilium

ſtatuiſſe;

ſtatuiſſe; id nec abſolutè verum eſt; nec inde ſequeretur, ipſum ex auitâ hereditate quidquam in illâ Prouinciâ poſſediſſe. Licet enim Pipino Robertus contra Carolum Caluum ſociatus fuerit anno DCCC. LIX. vt ijdem Annales teſtantur; Pipinus iam ab anno DCCC. LVI. Carolo militauerat: qui Carolus poſteà anno DCCC. LXI. *Sequanam tranſiens, Meidunum ſuper Ligerim adijt, &* ROBERTVM *cum placitis honoribus recepit*: hoc eſt ducto pœnitudine Roberto honores reſtituit, quos ab anno DCCC. LVI. ipſi conceſſerat.

Allodium autem Caſtellionum in Bituricenſi pago, quod Hugo Magnus, Roberti Fortis ex filio nepos, Cœnobio S. Martini Turonenſis contulit *pro eleëmoſynâ* ROBERTI *Regis patris ſui, ac genitricis ſuæ* BEATRICIS, audacter nimis affirmas ex Aganæ eius proauiæ hereditate proueniſſe; cùm ipſe Hugo Magnus in chartâ diſertè dicat, *ſe allodium illud* EX MATERNA HEREDITATE *iure & legaliter poſſidere*. Qui ergo priùs in chartâ *matrem Beatricem* nominauit, *Aganam* procul dubio, quæ ipſius proauia numquam fuit, non intellexit: aliter enim *ex auitâ hereditate* dixiſſet, non *ex maternâ*. Pag. 180.

Denique ſi verum eſſet, Robertum Fortem à fictitijs Madriaci Comitibus lineâ maſculinâ proceſſiſſe, iſtorum nomina in eius ſtirpe continuata fuiſſent, vt Childebrandi, Nibelungi, Theodeberti: quæ cùm in toto Regum Franciæ Capetinorum ſtemmate non occurrant, indicio eſt, iſtos ab illis minimè oriundos eſſe. Eodem argumento vſus eſt Theodorus Gothofredus contra Pieſpordium, qui Auſtriacorum Principum maſculinam originem à Merouingis Regibus deduxerat. In Geneal. Auſtriacâ.

Quemadmodum igitur in hoc falſo Capeti ſtemmate gradus quartus Childebrandi ferruminari non potuit cum tertio Pipini; neque ſextus Theodeberti cum quinto Nibelungi; ſic iſte octauus Roberti Fortis, genere Saxonis, agglutinari nequit cum ſeptimo Roberti, genere Auſtraſij.

Ceterùm ridicula eſt origo Saxonica Roberti Fortis, quam ita parum ſibi conſtans deriuat Dominicus, vt eius veſtigandæ causâ, nunc *Heriſtallum* petat, Germaniæ Inferioris villam; nunc *Saxiacum*, Biturigum vicum; cùm tamen primarium Capeti genus à Narbonenſibus obſtinatè deducat. Sed nec eiuſmodi peregrinationes viro litterato inuidendas puto, quandoquidem domicilio genus immutari numquam audiuerim; nihilque adeò gemina hæc poſitio ad rem faciat.

Nec maius momentum habet ortus alter à Neuſtriæ tractu, C 3 quem

quem *Saxonicum* veteres dixêre, cùm Aimoinus Floriacenſis, adductâ Adreualdi auctoritate, apertè diſtinguat ROBERTVM *Comitem Andegauenſem*, SAXONICI GENERIS VIRVM, *à Rainulfo & Lamberto, praeminentiſſimis Neuſtriæ viris.* Sed demus tricarum artifici non imperito, Robertum Fortem in eo Neuſtriæ tractu natum, qui à Saxonibus habebat nomen; certè quia ille diſertis verbis nuncupatur *Saxonici* GENERIS *vir*, & *de* GENERE *Saxonum extractus*; ſequeretur illum à Saxonibus piratis, qui littora illa infeſtauerant, in ijſque ſedes fixerant, oriundum fuiſſe; non ſecùs ac *Petrus Diaconus*, qui natus in Angliâ parentibus genere Saxonibus & aduenis, qui regionem illam occupauerant, ab Eginartho dicitur *Saxonici generis homo.* hæc ſunt eius verba de Carolo Magno: *Diaconum de Britanniâ,* SAXONICI GENERIS HOMINEM, *rerum vndecumque doctiſſimum, præceptorem habuit.* Saxonicus Poëta de illo eodem Caroli Magni magiſtro:

In Vitâ Car. M.

Lib. 5.

Hic etiam Leuita gradu, multumque peritus,
Ex ANGLIS *veniens* SAXO FVIT GENERE:
A quo præcipuè ſtuduit totam rationem
Et legem curſus diſcere ſyderei.

Verùm enim verò docui pluribus, Robertum Fortem dictum fuiſſe *Saxonici generis virum*, quia ortu Germanus erat; quibus iam opponit vir eruditus; *Cùm adhuc Roberti tempeſtate nulli ex gente Saxonicâ Cæſares in Germaniâ imperarint, ſequi, Germaniam nondum Saxoniam nuncupatam; ac proinde, Robertum non ex regione, quæ non niſi interiecto ferè ſæculo tale nomen ſortita eſt, Saxonicum dictum.* Sed obſerues velim, Dominice, Auctores, qui *Robertum* nuncuparunt *Saxonici generis virum*, ætatis ſuæ more locutos fuiſſe, quo *Germania* dicebatur *Saxonia*; eodem planè modo, quo Petrus Treuirenſis & Adelbertus Andernacenſis à te adducti, Arnoaldum Ansberti filium, & S. Arnulfi patrem, vocarunt *Ducem Lothoringiæ*, & *Ducem Lothreianæ:* quo modo etiam Robertus Atrebatenſis Comes *Godefridum Bullonium*, inferioris Lotharingiæ Ducem, vocauit *Ducem Brabantiæ.* Vt enim *Auſtraſianæ* nomenclationi ſucceſſit *Lotharicana*, ſic iſti *Brabantina.*

Pag. 187.

Miræus Diplom. Belg. c. 91.

GRADVS IX.

ROBERTVS I. REX.

Geſta Norman. Gemetic. Membrana Floriac.

ISTE non aliâ ſpecie inuaſit Regnum, quàm quòd *pars regiminis, quam germanus eius* ODO *tenuerat, ipſi non redderetur.* Quâ autem ſorte obtinuerit ſceptrum ODO, hîc explicare placet. Otho Friſingenſis:

genſis: *Occidentales Franci, Principibus amiſſis* [Ludouico III. & Carlomanno Regibus] KAROLVM *Imperatorem* [Craſſum,] *qui tunc* SOLVS *ex ſtirpe Karolorum ſupereſſe videbatur, vltrò inuitant, eique venienti ſubijciuntur.* Addit Guido Baſochius: *Imperatori prædicto Regnum puerumque committunt:* nempe Carolum Simplicem. Sed Craſſus Imperator tutelam Caroli pueri poſteà commiſit ODONI, qui à Francis Rex tandem electus eſt, non quòd eſſet ortus è Maiorum Domus genere, à quo omnino alienus erat; ſed *ratione habitâ virtutis eius militaris*, & ob metum Normannorum, qui Regnum depopulabantur. Witikindus Saxo: *Quidam ex Orientalibus Francis adiens* [Carolum Craſſum] *nomine* ODO, VIR FORTIS *& prudens, egit conſilio ſuo, vt cum Danis benè pugnaretur, vnâque die ex eis centum millia cæderentur.* Abbo de Bellis Pariſiacæ Vrbis: Lib.6.c.8. Anno 885. Hallianus lib.5. in Odone. Lib. 1. Lib. 1.

FORTIS ODO *innumeros tutudit.*

Regino & Annales Metenſes: *Intereà Galliarum populi in vnum congregati, cum conſenſu Arnulphi* ODONEM *Ducem, filium Rodberti,* VIRVM STRENVVM, *cui præ ceteris formæ pulchritudo, & proceritas corporis, &* VIRIVM *ſapientiæque* MAGNITVDO *inerat, Regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant.* Anno 888.

Guido Baſochius clarè: *Carolus Imperator* [Craſſus] *leuis, animoque remiſſus, cùm ad gubernandum Regnum, ſimulque Imperium, ſe non ſufficere metiretur, tutelam pueri, videlicet* KAROLI *Simplicis, cum Regni procuratione committit* ODONI, *filio* ROBERTI *Andegauenſium Comitis,* QVIA VIRTVTE MILITARI *præſtare ceteris Regni Principibus, morum & corporis elegantiâ videretur.* Otho Friſingenſis: *Occidentales Franci* ODONEM, *Roberti filium,* VIRVM FORTEM, *conſenſu Arnulphi Regis Regem creant.* Eamdem ob cauſam Roberto, Odonis parenti, *tamquam viro forti,* Ducatum inter Ligerim & Sequanam, hoc eſt, ſupremam exercitus præfecturam, vnà cum Andium Comitatu, Carolus Caluus Rex donauerat. Subiungit Albericus: *Normanni fugati à ciuitate Pariſius, Senonas venerunt;* QVORVM TIMORE *Waltherus Senonenſis Archiepiſcopus vnxit* ODONEM *in Regem.* De iniuſtâ idcircò Odonis externi dominatione Fulco Rhemenſis, Regibus Carlouingis ſanguine iunctus, queſtus eſt epiſtolâ ad Amulphum Imperatorem, in quâ *Odonem* vocat *hominem ab regiâ ſtirpe alienum, & regali tyrannicè abutentem poteſtate.* Illam autem alienam Odonis originem aperit Auctor Chronici S. Victoris Pariſienſis; vbi ſcribit, *Robertum Fortem & eius filium* ODONEM *fuiſſe genere Saxones.* Vnde rectè infertur, illos à S. Arnulpho Metenſi minimè oriundos fuiſſe, neque conſequenter ROBERTVM Odonis fratrem, *cuius ori ſacrilego* Anno eodem. Lib.6.c.2. & 10. Albericus anno 988. Apud Flod.lib.4. cap.5. Contin. Regin. anno 922.

CARO-

CAROLVS [Simplex, Rex legitimus] *ita lanceam infixit, vt diffiſſâ linguâ ceruicis poſteriora penetraret.* Sed præterea vtrique fratri veſtet Scipio Dupleix colores iſtos appinxit: Odonem *coronæ vſurpatorem,* ciuſque dominatum nuncupat *tyrannidem :* Robertum verò *tyrannum* vocat, & *coronæ* pariter *vſurpatorem:* additque, *huius originem, ſi Gallica fuiſſet, à Glabro, qui Gallus & ipſe erat, haud difficulter explicatam fuiſſe.*

Tom. 1. & 2.

GRADVS X.

HVGO MAGNVS, DVX FRANCORVM.

EIVSDEM cum Maioribus Saxonici ſanguinis fuit hic Hugo, in cuius manu cùm eſſet ad ſolium Regium quem vellet euehere, Rodulphum, Richardi Burgundionum Ducis filium, vxoris ſuæ fratrem, à Caroli Magni genere maſculino prorſus alienum, Regni Franciæ moderandis habenis admouit. *Qui Rodulphus*, inquit Glaber, *carens omni prole, ſolus* SVI GENERIS *Regni culmine potitus, obijt.* Idque ita palàm eſt, vt ſi poſteros habuiſſet ad hæc vſque tempora ſuperſtites, qui nunc è Capeti ſtirpe rerum potiuntur Reges, non ſecùs ac olim Robertus Fortis & Hugo Magnus, priuatam vitam agerent, Rodulphinorum clientes.

Lib. 1. c. 2.

GRADVS XI.

HVGO CAPETVS REX.

ASSERVI ex fide dignis Francorum Scriptoribus, Ludouicô V. Rege ſine prole è viuis ſublato, & patruo eius Carolo Duce in carcerem coniecto, Regnum Franciæ Occidentalis vſurpatum fuiſſe ab Hugone Capeto, qui à genere maſculino Caroli Magni prorſus alienus & extraneus erat. Id quod Dionyſius Petauius, vir doctrinæ Orbi notæ, quem *ſuæ ſocietatis decus eximium* Dominicus meritò nuncupat, ante me ſic affirmauerat: *Nihil cum Caroli ſtemmate commune Capetus habuit.* Sed reſpondet iteratò Dominicus, *ſe non inficiari, diuerſum fuiſſe & à Carolo Magno alienum Capeti genus, quia non ex eâdem lineâ Maiorum Domus originem traxerat, etſi ex vno eodemque communi ſtipite prodibat; ſub vnâ gente omnes lineas ac ſtemmata contineri; ex vnâ B. Arnulphi fuiſſe Carolum Magnum & Hugonem Capetum, variaſque ex eâ prodijſſe familias, ex quibus licet vna defecerit, non ideò conſequens eſſe aliam defeciſſe.*

Lib. 8. Ration. cap. 14.

Pag. 160.

Ad

Ad quæ dico, Scriptores Francos latiori *gentis* vocabulo vſos non eſſe, ſed *generis*; Gloſſæ meæ vett. MS. *Genus*, *origo*. Eſt enim genus propriè principium vniuſcuiuſque generationis, vndecumque ortus ſui initium quis duxerit; comprehenditque plures familias & ſtirpes; vnde Tranquillus in Galbâ: *Imagines vniuerſi* GENERIS *exequi longum eſt*, FAMILIÆ *breuiter attingam*. Ita quoque Auctor Genealogiæ S. Arnulphi Metenſis meminit *Henrici*, *qui* DE GENERE SAXONVM *primus fuit Imperator*. Erant enim plures Principum familiæ in Saxoniâ. Sic etiam Fredegarius recenſet & diſtinguit Dagoberti Regis Duces; *Ariardum ex genere Francorum*; *Ramelenum ex genere Romanorum*; *Willibaldum patritium ex genere Burgundionum*; *Aginonem ex genere Saxonum*. Eodem ſenſu Nangius Ludouicum V. Regem vocat *vltimum* DE GENERE *Caroli Magni*. Huic autem vltimo Regi ſucceſſit Hugo Capetus, de quo ſic Auctores loquuntur. Aimoinus Floriacenſis: *Patruus eius*[Ludouici V. Regis] KAROLVS *conabatur, ſi poſſet, à* SVI GENERIS *auctoribus diu poſſeſſum ſibi vindicare Imperium*; *ſed eius voluntas nullum ſortitur effectum: nam Franci Primates eo relicto, ad* HVGONEM, *qui Ducatum Franciæ* ſtrenuè *tunc gubernabat, Magni illius Hugonis filium, ſe conferentes, eum Nouiomo ſolio ſublimant Regio*. Ioannes Iperius: *Hugo* CAPET, *more patrum ſuorum odio motus antiquo*, GENVS CAROLI MAGNI *cupiens eradere de Regno Francorum, contra Regem Carolum, necdum tamen coronatum, rebellauit*. Continuator Willelmi Calculi: *Hugo*, ADNVLLATO GENERE *Caroli Magni*, *vnctus eſt in Regem ſuper Francos*. Adnullato, id eſt, regiâ dignitate exuto, & ad priuatum vitæ inſtitutum redacto. Cùm enim ſceptrum vſurpauit Capetus, ſupererant ex regio genere Carolus Dux, Otho filius eius, & alij duo intra carcerem nati: vti cùm Pipinus ad regnandum electus eſt à Francis, adhuc viuebat Childericus.

Cap. 3.

In Chron. Childebr. cap. 78.

Lib. 3. de Mirac. S. Bened. cap. 1.

Atque hinc eſt, quòd alij Scriptores tranſlationem ſceptri à Ludouico V. Rege in Capetum factam exprimant de regio genere in aliud *nouum* & *externum genus*. Girardus Hallianus in Hugone Capeto: *Ita Regnum Franciæ à ſtirpe Caroli Magni diſtractum*, *& in* NOVVM GENVS *tranſlatum fuit*: ideò *nouum*, quia Reges ex illo primùm prodibant.

Lib. 6.

Guibertus Abbas de Anſelino Epiſcopo: *Dominum ſuum* REGEM [Carolum Ludouici V. patruum] *prodidit*, *& in* EXTERNVM GENVS *curſum genealogiæ tranſtulit*. Externum genus & extraneum genus vocatur, quaſi *exterraneum*, id eſt, *ex terrâ & gente externâ*: quo ſenſu Gaio IC. *extraneus heres* dicitur, *qui nullo propinquitatis gradu*

Lib. 2. Inſtitut. tit. 3.

teſtatori iungitur, ſed eum pro arbitrio ſuo heredem ſcribit. Verùm pleniùs ſatisfaciet multiplex exemplum ex Vate ſummo.

Latino Regi filia erat Lauinia, quæ procum habebat Turnum Rutulorum Regem: ſed Faunus, Latini pater, nuptias inhibuit hocce oraculo:

Virgil. 7. Æn. v.96.

Ne pete connubiis natam ſociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis:
EXTERNI *venient* GENERI, *qui* SANGVINE *noſtrum*
Nomen in aſtra ferant.

Amata interim, Lauiniæ mater, vt Turno Regi faueret, illum Latino externum eſſe ſuadere nititur; quia ab eius Regno & poteſtate diſiunctus erat, quamuis in Italiâ natus. hæc fuit eius oratio:

Verſ.367.

Si gener EXTERNA *petitur de* GENTE *Latinis,*
Idque ſedet, Faunique premunt te iuſſa parentis;
Omnem equidem ſceptris TERRAM, *quæ libera noſtris*
Diſſidet, EXTERNAM *reor, & ſic dicere Diuos.*

Cùm autem hac ratione Latinus non moueretur, & Æneæ Troiano filiam collocare ſtatuiſſet; prodiit ex inferis Alecto, quæ vt Troianos inter & Latinos bellum excitaret, Turnum ſic accendit:

Verſ. 421.

Turne tot incaſſum fuſos patiere labores?
Et tua Dardaniis transferri ſceptra colonis?
Rex tibi coniugium & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat, EXTERNVSque *in Regnum quæritur* HERES.

Ex quibus perſpicuè datur intelligi, quid ſit *externum genus, gens externa*, & *externus heres*.

Itaque Guido Baſochius appoſitè de Capeto: *Dux* HVGO *Karoli Magni ſobolem extirpauit à Regni ſolio, quod ſibi* SVOQVE GENERI *confirmauit*: peregrino ſcilicet & externo, vt antè Guibertus.

Quodnam autem fuerit illud nouum & externum Capeti genus, ſic explicat Auctor Vitæ Ludouici VIII. Regis: *Hugone Capucio, Comite Pariſienſi, & Duce Francorum, Regnum inuadente, tranſlatum eſt de genealogiâ Carolorum in progeniem Comitum Pariſienſium, qui* DE GENERE SAXONVM *proceſſerant*. Vnde Aimoinus Floriacenſis, Iuo Carnotenſis, Calculus, Albericus, & alij, Robertum Fortem, Hugonis Capeti proauum, diſertè vocant *virum Saxonici generis*. Quin & Willelmus Nangius de Hugone Capeto Gallicè ſic

Ex MS. Biblioт. Regiæ.

loquitur: *L'an de l'incarnation noſtre Seigneur* CM. LXXXVIII. *commença le Roy* HVE, *dit Capet, à regner, filz à* HVE *le Grand, Comte de Paris, & de* HAVOIS, *ſœur au premier Othon Empereur de Romme. Icelluy* HVE *Capet Roy de France regna neuf ans; ne n'eſtoit point du droit lignaige,*

lignaige, mais il eſtoit DV LIGNAIGE DE SAISONNE. Hoc eſt, Non
erat ex iuſto Carolorum genere, ſed DE GENERE SAXONVM EX-
TRACTVS, vt loquitur Albericus; qui rurſum hic audiendus eſt ad
annum DCCL: *Hic igitur annus* PIPINI *Principis nonus, fuit decimus
Regni* HILDRICI, VLTIMI *Francorum* REGIS *de* PROSAPIA *Clodo-
uei.* Atqui depoſito Childerico, tradit Egoliſmenſis, *defeciſſe* totum
GENVS REGALE. Vnde quoque, vbi legitur apud Rigordum, & in
veteri membranâ Floriacenſi; LVDOVICVM V. *fuiſſe huius* PROSA-
PIAE REGALIS *Regem vltimum:* idem eſt ac ſi diceretur, TOTVM
GENVS REGALE *in eo defeciſſe.*

Audiendus etiam Auctor Vitæ S.Genulfi de Pipino Breui: *Poſt* Lib.2.c.5.
depoſitionem HILDERICI, *totius militiæ voto, vnà cum auctoritate Za-
chariæ Papæ,* PRIMVS EX SVA LINEA *in Regno Francorum Rex ſubli-
matus eſt.* Tum inferiùs, poſt narratam mortem Ludouici V. Regis,
de genere Pipinorum poſtremi: *Ita Francorum* SECVNDA DEFI- Cap.25.
CIENTE LINEA, *Regnum* IN TERTIAM *eſt tranſlatum: in quâ qui-
dem primus extitit* ROBERTVS, *qui à* KAROLO *Minore interfectus eſt.*
Lineam vbique vſurpat pro Genere, quod conſenſu omnium triplex
fuit. Vt ergo Pipini genus abſque controuerſiâ aliud fuit à genere
Childerici, Merouingorum Regis vltimi; ſic etiam, ex huius Aucto-
ris mente, Roberti genus à Pipini genere diuerſum planè fuit.

Ad extremum, Auctor Hiſtoriæ Vizeliacenſis Monaſterij de
Ludouico VII. Rege in hunc modum verba facit: *Hic eſt* LVDOVI-
CVS *Rex, filius Ludouici, qui cognominatus eſt Groſſus, filij Philippi, filij
Henrici, filij Roberti, filij* HVGONIS CAPITONIS, *qui primus Rex ex-
titit poſt* DEFECTVM GENEALOGIAE KAROLI, *quæ per ducentos
ferme annos regnauit.* Genealogia eſt commentarius, qui ab ipſo Ge-
nearchâ per omnes gradus eorumque propagines totum genus de-
ſcribit. Vbi ergo Scriptor ille ait, *defeciſſe Caroli genealogiam,* ſignificat
haud dubiè, omnes Carolinæ arboris ramos ſurculoſque prorſus
deſijſſe.

Non igitur ſerie maſculinâ ortus eſt HVGO CAPETVS ex eodem,
quo Carolus Magnus, Maiorum Domus ſtipite; ſed ab illo planè
alienus, & ἐξώνυμος fuit: vt verè dixerit Papirius Maſſonus, Anna- Lib.3.
lium Francicorum Scriptor, *Regium honorem* IN EXTRANEI FAMI-
LIAM *fuiſſe illatum:* inconſultè autem Boucheto ac Dominico ſub-
ſcripſerint Sanmarthani fratres in poſtremâ Operis ſui editione, vbi Anni
perperàm affirmant, *ſecundam ac tertiam Regum proſapiam ex vnius &* 1647.
eiuſdem maſculino gentis oriri caudice. Quod commentum vt ignauis
mentibus fortiùs infigant, perturbatè profitentur, *illud abſque maie-* In Epiſt. ad Regem.

 ſtatis

ſtatis minutæ noxâ negari non poſſe: ac ſi homini cum libertate genito non liceret ſine crimine hiſtoricam *veritatem, quæ in omnem partem* Seneca. Epiſt.79. *ſui ſemper eadem eſt*, ſedulò ſcrutari, ac penitus repertam firmiter & cum laude ampleċti.

Tabula noui Stemmatis Capetini ob oculos poſita.

GENVS MAIORVM DOMVS.

1. B. ARNVLFVS Dux, deinde Metenſis Epiſcopus.
2. ANSIGISVS Dux.
3. PIPINVS Dux & Maior Domus.

GENVS INCERTVM.

4. CHILDEBRANDVS Dux & Comes.
5. NIBELVNGVS Vilcaſſini Comes in Neuſtriâ.

GENVS ARDENNENSE.

6. THIETBERTVS Comes Matricenſis in Auſtraſiâ.
7. ROBERTV'S Comes, Maior Palatij Pipini Regis Aquitaniæ.

GENVS SAXONICVM.

8. ROBERTVS FORTIS, Andegauenſis Comes.
9. ROBERTVS Dux Franciæ, poſteà Rex.
10. HVGO MAGNVS, Dux Franciæ.
11. HVGO CAPETVS Rex Franciæ.

Hoc eſt Boucheti (quem Dominicus *virum ſagacem & diligentiſſimum Scriptorem* vocat) contextum fabulis ſomnium; ſtemma ſcilicet monſtro ſimile, ex quadruplici diuerſoque Principum genere Dan. 2. coagmentatum; cuius deſtruċtio æquè facilis viſa, ac ſublimis ſtatuæ Babylonij Regis, quam ex multiplici conflatam materiâ lapis ex rupe deuolutus percuſſit & contriuit. Licet ergo tritum Tragici vaticinium, quod inani faſtu Dominicus attulit, hunc in modum immutare:

—— Venient annis
Sæcula ſeris, quibus Oedipodes
STEMMATA REGVM *ſoluat, &* INGENS
Pateat MONSTRVM; *Sphingiſque nouos*
Detegat aſtus: nec ſit Terris
Vltima CALPE.

LAM-

LAMPAS II.

Madriacenſis pagus in Neuſtriâ non fuit per ſe Comitatus, ſed pars Diœceſis & Comitatus Ebroicenſis.

PAGOS ἀπὸ τῶν πηγῶν dictos, hoc eſt, *à fontibus, quòd eàdem aquâ vterentur*, auctor eſt Feſtus: ita vt pagus olim eſſet tractus alicuius fontis aut fluminis, in quo villæ, quæ pagum componebant, condi conſueuerant. *In Francorum Hiſtorijs*, inquit Marquardus Freherus, *perpetuò obſeruare licet, quoties loci alicuius ſitum exprimere volebant, deſcribere ſolitos, in quo* PAGO, *& ad quem* FLVVIVM *is ſitus eſſet*; *&* PAGVS *ipſe*, IN QVO COMITATV: *cùm quidem tunc Francorum Regnum in Comitatus diuiſum eſſet: qui* COMITES *regio nomine ius* PER PAGOS *dicebant; & ipſi in burgo aliquo, id eſt in oppido arcem impoſitam habente, reſidentes, in quo* MALLVS PVBLICVS, *id eſt, auditorium & tribunal eſſet. Vnde* COMES *&* PAGENSES SVI *ſunt relatiua; vt ſubinde in Francorum legibus Carolinis videmus. Et* PAGENSES *inter ſe eiuſdem* PAGI *homines.* In Orig. Palat. p.1. cap.5.

Freheri ſententiam de pagorum ad fluuios ſitu firmant hæ veteres chartæ.

Prima DROGONIS, Mediomatricæ vrbis Archiepiſcopi, quâ donat Monaſterio Gorzienſi *manſos duos in* PAGO *Wabrinſe, in loco qui vocatur Bibonis monte, ſuper* FLVVIVM *Orna*: item, *manſum vnum in* PAGO *Salninſe, in* VILLA *Arnoldi, ſuper* FLVVIVM *Magide*. Data eſt charta *anno ab incarn. Domini* DCCC. XLI. *indict.* XIV. *ep.* XV. *conc.* III. *anno* XII. *Regni Lotharij.* Ex Chartulario Gorzienſi.

II. quâ *Leuthardis Deo ſacrata & filius ſuus Thilhardus dederunt ad partem Eccleſiæ S. Protomartyris Stephani, quæ eſt infra murum Mettis conſtructa, in* PAGO *Scarponinſe, in* COMITATV *Berneri, in* VILLA *Hodingas, ſuper* FLVVIVM *Alſoncia, manſum indominicatum*, &c. *Facta precaria anno* VI. *adeptionis Regni* LVDOVICI *glorioſiſſimi Regis.*

III. RICHILDIS quondam Reginæ, quâ donat *in* PAGO *Scarponinſe, ſuper* FLVVIVM *Moſellam, in Waſatico nuncupato* VILLA, *manſos & ſortes quinque. Actum Mettis publicè anno ab incarn. Dom.* DCCCC. X. *indict.* XIII. *ep.* VII. *conc.* VII. *anno* XI. LVDOVICI *Regis.*

IV. CAROLI Simplicis pro Monaſterio S. Germani: *Donauimus, & ſubiecimus illam Abbatiam* [Crucis S. Audoëni] *cuius caput eſt in* MADRIACENSI PAGO, *ſuper* FLVVIVM *Auturæ, ſancto Germano*, &c. *Datum* II. *Idus Mart. anno* XXVI. *regnante* CAROLO *Rege.* Apud Aimoin. l.5. cap.42.

D 3 Com-

Complures aliæ occurrunt in Eccleſiarum tabularijs, quibus conſentit vetus apud Marculfum formula de donatione ad Monaſterium: *Venerabili in Chriſto Patri N. Abbati de Monaſterio ſancti N. quod eſt in* PAGO *N. ſuper* FLVVIVM *N. conſtructum.*

Form. 28.

Pagorum porrò alij erant maiores, qui Prouincias integras conſtituebant, vt illi quatuor, in quos tota Heluetiorum Regio diuiſa erat, & in quibus non pagatim habitabant, ſed oppidatim. Alij *minores, qui plures erant in vnaquaque Diœceſi*, vt obſeruauit doctiſſimus Sirmondus; ad cuius mentem Ioannes Voſſius: *Pagus non ſemper eſt vicus, ſed etiam* PROVINCIA TOTA, *vel* EIVS PARS, *vti oppidum cum territorio: vnde* PAGENSES, *qui eiuſdem ſunt Prouinciæ ſeu Diœceſeos.*

Cæſar Comm. 1. In Notis ad cap. Car. Calui. Lib. 3. de Vitijs ſerm. c. 3.

Madriacenſem pagum ex minorum numero fuiſſe, colligitur primò; quòd anguſtis contineretur limitibus, ab Oriente clauſus Ebroicenſi, ab Occidente Vilcaſſino & Piſſiacenſi: deinde quòd pars eſſet Diœceſis ſeu Comitatus Ebroicenſis. In pago enim Madriacenſi ſitum fuiſſe Monaſterium S. Leufredi (quod ab ipſo Ebroicorum capite Mediolano duobus circiter millibus abeſt) docet Vita S. Leufredi; nec non & charta Caroli Simplicis, quam adfert Aimoinus. Et *S. Leufredus*, qui ab Vſuardo ponitur *in pago Madriacenſi*; à Petro de Natalibus, & à Cæſare Baronio collocatur *in pago Ebroicenſi*. Sed ab Andreâ Sauſſayo rectiùs *Madriacenſis pagus* ponitur *in Diœceſi Ebroicenſi*: quod idem eſt ac in Ebroicenſi Prouinciâ, ſiue Comitatu. Eccleſiaſticam quippe iuriſdictionem à laicâ normam accepiſſe ſatis conſtat. Siquidem Archiepiſcopus, vti Dux, multis præerat ciuitatibus & pagis. Gregorius Turonenſis: *Wintrio Dux à* PAGENSIBVS SVIS *depulſus, Ducatu caruit, finiſſetque vitam, niſi fuga auxilium præbuiſſet.* Epiſcopus autem, vti Comes, vni tantùm præpoſitus erat ciuitati, cuius territorium pagis conſtabat, & iſti villis: vnde in capitulis Caroli & Ludouici Impp. hæc habetur lex: *Vaſallos ſuos caſatos ſecum non retineat, ſed cum* COMITE, *cuius* PAGENSES *ſunt, ire permittat.* Et apud Gregorium iam laudatum: *Epiſcopus cum clericis &* PAGENSIBVS *vrbis ſuæ ſimilia ſacramenta dedit.* Atque ob illam Epiſcopi & Comitis in territorio paritatem, à ſecundæ ſtirpis Francorum Regibus ſancitum eſt; *vt* EPISCOPI *&* COMITES *concordes ſint; &* COMITES, *eorumque miniſtri*, EPISCOPIS *atque eorum miniſtris in omnibus adiutores ſint.* Similiter Imperator Carolus in lege Longobardorum: *Volumus vt* EPISCOPI *&* COMITES *concordiam & dilectionem inter ſe habeant; vt* EPISCOPVS SVO COMITI, *vbi ei neceſſitas popoſcerit, adiutor & exhortator exiſtat, qualiter ſuum mini-*

Cap. 10. 21. Iunij. In Martyr. Gallic. Lib. 8. cap. 18. Lib. 3. cap. 73. Lib. 10. cap. 9. Capit. add. 4. tit. 24. Tit. 54. cap. 1.

miniſterium explere poßit. Sed & ex Matculfi formulâ clarè colligitur, Comitem pluribus præfectum fuiſſe pagis, vrbibus, vicis, caſtellis; ſic enim habet: *Ille Rex* COMITI *N. dum & nos, vnà cum conſenſu Procerum noſtrorum, in Regno noſtro N. glorioſo filio noſtro N. regnare præcipimus; ideò iubemus, vt* OMNES PAGENSES *veſtros, tam Francos quàm Romanos, vel reliquas nationes,* * BANNIRE, *& locis congruis per* CIVITATES, VICOS *&* CASTELLA *congregare faciatis.* Form.39. * Id eſt, edicto conuocare.

Quæ cùm ita ſint, manifeſtum eſt, *pagum Madriacenſem,* arctis terminatum limitibus, non fuiſſe Comitatum per ſe, ſed maioris territorij portionem, quæ cum alijs pagis Comitatum & Diœceſim Ebroicenſem componebat. Hîc autem cenſoriâ notâ inurendus Aſſertoris Gallici Geographicus error, vbi *Abbatiam Crucis S.Leufredi* ponit *in Diœceſi Eboracenſi,* quæ Albionis Inſulæ pars eſt, vulgò *Torck*; confunditque cum *Ebroicenſi,* quæ in Normanniâ eſt *Eureux*: quâ eâdem oſcitantiâ ſtemmatis ſuis aliena capita permiſcuit, & fictitios Madriaci Comites in Neuſtriâ perperàm collocauit. Pag.19.

Adde, quòd in monumentis, quæ Genealogiſta nouus edidit, nulla fit mentio Comitis vel Comitatus Madriacenſis; ſed *pagi Madriacenſis* dumtaxat, & *Poteſtatis Madriacæ,* ſeu *Matriacæ;* quâ ſignificatur iuriſdictio, quam in Madriacenſi pago exercebat Vicarius Comitis Ebroicorum. Comes enim Prouincialis in primario ſui Comitatus pago ſuum habebat Procomitem; qualis erat *Florus* ille, *qui ſub Theodoberto I. Rege* VICECOMES *erat in Andegauenſi pago.* In alijs autem minoribus ſatrapiæ ſuæ pagis Comes *Vicarios* habebat & *Centenarios,* qui eius vicem gerebant; vt *Animodus* Vicarius *pagum quemdam iudiciariâ regebat* POTESTATE *ſub Turonicæ vrbis Comite.* Vnde *Poteſtaria* erat *Poteſtas vicaria.* Petrus de Vineis: *Iuriſdictionis tuæ* VICARIAS *ſeu* POTESTARIAS *habentes, & ſalaria ſingulorum, qui, quot, & quales ſint, & in quibus* VICARIIS, POTESTARIIS, *& Caſtellanijs, ſub quibus ſalarijs vel expenſis Officiales hactenus extiterint.* Illi porrò *Madriacæ poteſtati* ſeu *Madriacenſi* Neuſtriæ *pago* nomen inditum exiſtimo à copioſo *madramine,* ſeu *materiamine,* hoc eſt, aptâ ædificijs & pergulis materiâ, quam *ſylua Equilina,* ſeu verius *Eſculina,* Pagenſibus præbebat. *Madramen* Latinis eſt *materia,* Hiſpanis *madera,* Gallis *marrein.* Leges Bajoariæ: *Si quis alicuius* materiam *in ſyluâ aut propter inimicitias vel inuidiam truncauerit, vel læſerit,* &c. Leges Salicæ: *Si quis in ſyluâ alterius* MATERIAMEN *furatus fuerit,* &c. Leges Ripuariæ: *Si quis Ripuarius in ſyluâ communi, ſeu Regis, vel alicuius locatâ,* MATERIAMEN *vel ligna fiſſa abſtulerit,* &c. Chrodegangus denique Metenſis Epiſcopus in chartâ anni DCC.XLI. pro Mona-

Fauſtus in Vitâ S.Mauri. Capitul. l.2.c.28. Turon. l.10.c.5. Lib.3. Ep.63. Tit.11. cap.7. Tit.8.§.4. Tit.76.

Monaſterio Gorzienſi: *Donamus ad nouum Sartum medietatem de illâ ſyluâ, vbi illi Fratres, vel illorum homines,* MADRAMEN *poſſint facere.*

Sed adducit Eginarthum vir eruditus, qui meminit *Thietberti Comitis Matricenſis*; quem contendit eumdem fuiſſe cum fictitio Madriacenſi Comite Theodeberto. Atqui iam oſtendi, *Thietberti Matricam* in Auſtraſiâ ſitam fuiſſe, multis paraſangis à Madriaco in Neuſtriâ diſtantem; quod nouis eo firmatum argumentis.

LAMPAS III.

Rurſus expenduntur Eginarthi verba de Thietberto Matricenſi Comite, & eius filiæ nuptijs in Arduennâ celebratis.

Ad an. 822. HAEC ſunt Eginarthi Scriptoris ſynchroni verba de Ludouico Pio: *Peracto conuentu, qui* ATTINIACI *habebatur, Imperator venandi gratiâ* ARDVENNAM *petijt:* LOTHARIVM *verò filium ſuum in Italiam miſit;* PIPINVM *autem in Aquitaniam ire præcepit: eum tamen* PRIVS *filiam* THIETBERTI COMITIS MATRICENSIS *in coniugium fecit accipere; &* POST NVPTIAS CELEBRATAS, *ad* OCCIDVAS REGIONES *proficiſci.* Quæ omnia quid velint, tametſi ſatis iam antè docuerim, iterùm tamen ad maiorem lucem atque ad incudem reuocabo.

Attiniacus palatium erat regium in parochiâ ſeu Epiſcopatu Remenſi, teſte Hincmaro apud Flodoardum: notus hodie locus ad Axonam fluuium, multis olim ſynodis & placitis Regum illuſtris: eius meminit Saxonicus Poëta, vbi de Widokindo & Abbone,

Lib. 2. an. 785. Saxoniæ Maioribus, qui Carolo Magno ſe dediderant:

——— properarunt protinus AMBO
Ad Regem, iam tunc fuerat qui fortè reuerſus
Ad VILLAM PROPRIAM, *quæ dicitur* ATTINIACVS:
Hîc ijdem Proceres ſacri baptiſmatis vndâ
Perfuſi, tandem Regi manſere fideles.

Eo loci conuentum habuit Ludouicus Pius anno DCCC.XXII. menſe Auguſto; quo abſoluto, *Arduennam* petijt, *ſyluam* (Iulio Cæſari) *totius Galliæ maximam, quæ à ripis Rheni, finibuſque Treuirorum, ad Neruios vſque & ad initium Remorum pertinebat:* hoc eſt, à Rheno flumine vſque ad Moſam & Scaldim. Fredegarius de Dagoberto Rege: *Cum exercitu de Regno Auſtraſiorum, de* METTIS *vrbe promouens, tranſito* ARDENNA, *Magontiam magno cum exercitu adgreditur, diſponens*

(Comm. 5. & 6.)

nens Rhenum tranſire. Eginarthus de Ludouico Pio: *Aquas-grani reuerſus eſt, & poſt paucos dies per* ARDVENNAM *iter faciens,* TREVEROS *& Metis venit.* Vbi ergo à Remis & Attiniaco Moſam fluuium traiecit, & Arduennam petijt Ludouicus Pius, ab occiduâ Franciâ ad ortiuam progreſſus eſt. Ad an. 821.

Ille porrò ingens & ſyluoſus Arduennæ tractus plures complectebatur Comitatus, & inter illos Arduennenſem Prouincialem, cuius hæc habetur mentio circa annum CM. in Miraculis S. Huberti: *Comitatum Arduennenſem agebat* THEODORICVS, *cuius frater* ALERANNVS *partes æquabat eiuſdem Comitatus:* ille autem pluribus conſtabat pagis: vnde litteræ Epternacenſium anni M. C. XCII. ad Henricum IV. Imperatorem ſic incipiunt: *Non moueat dignitatem Maieſtatis veſtræ, Clementiſſime Domine, quòd diſcretioni Serenitatis veſtræ ſcribere præſumimus, licet parum vobis adhuc cogniti, vtpote in arduis* ARDENNAE *finibus ſepoſiti.* Epternacum tamen in Bedenſi pago ſitum erat, non in Ardennenſi. Num. 170.

Itaque Ludouicum Pium iam habemus in Orientali Franciâ citra Rhenum; videamus quid ibi egerit: *Lotharium verò filium ſuum in Italiam miſit; Pipinum autem in Aquitaniam ire præcepit.* Aderant Imperatori duo filij eius; Ludouico mandauit vt iret in Italiam, Pipinò in Aquitaniam; ſed huic adhibitâ conditione & morâ, quam ſic exprimit Scriptor: *Eum tamen* PRIVS *filiam* THIETBERTI *Comitis Matricenſis in coniugium fecit accipere.* Conſentit Auctor Vitæ Ludouici Pij: *Pipinum autem filium cùm in Aquitaniam mittere ſtatuiſſet,* PRIVS *illi coniugem filiam* THEOTBERTI *Comitis iunxit:* hoc eſt, *reuerà copulauit.* Vnde Annales Fuldenſes: *HLotarius in Italiam; Pipinus frater eius & ipſe,* VXORE DVCTA, *in Aquitaniam miſſus eſt.* Eginarthus in Ann. Ad an. 822.

Iam quòd attinet ad locum, vbi nuptiæ Pipini cum INGELTRVDE, Thietberti Comitis Matricenſis filiâ, celebratæ ſunt; dixi *apud Theodonis villam;* quo loci immorari ſolebat Imperator, cùm ſubſiſteret in Arduennâ. Id porrò firmat celebris conuentus inibi habitus eodem anno DCCC. XXII. de quo ſic Albericus: *Tempore Herri Treuirenſis, Ebonis Remenſis, Haiſtolphi Maguntinenſis, Concilium fuit apud Theodonis villam.* Vbi nempe Imperator præſens aderat; vt in alio præcedenti anno ibidem celebrato, cuius meminit Eginarthus; in quo Lotharij nuptiæ cum Irmingarde Alſaticâ celebratæ ſunt. Qui autem ab Alberico dicitur *Herrius Treuirenſis,* à Brouuero nuncupatur *Amalherius,* qui Vazzoni ſucceſſit anno DCCC. X. exceſſitque è viuis anno DCCC. XXXII. *Haiſtulphus Moguntinenſis* Epiſcopatum incepit anno DCCC. XIV. rexit ad annum vſque DCCC. XXVI. In Annal. Treuir. Serarius in Moguntiaco.

E *Ebo*

Coluener. in Catal. Epiſc. Rem. *Ebo* ordinatus eſt *Remenſis* anno DCCC. XXII. qui certus eſt character illius conuentus habiti apud Theodonis villam anno eodem, quo Pipinus ibidem matrimonio illigatus eſt.

Palatium autem illud Theodonis Regum frequentiâ in primis clarum erat. In Annalibus Fuldenſibus dicitur *Theoden houe*; quod Flandricè ſonat *Theodonis hortum:* Sed antiqui Germani *houe* dicebant, pro eo quod nunc hoeff/ id eſt *villa ruſtica*, ſeu *prædium*; & in chartis antiquis *hoba*, ſeu *huba*. Vnde alij reddentes Latinè *Theoden houe*, dixerunt *Theodonis villam*, non *Theodonis hortum*.

Subiungit iam dictis Eginarthus: ET POST NVPTIAS CELEBRATAS, *ad occiduas regiones proficiſci*. Vnde colligitur, itineri ad occiduas Galliæ partes non ſe commiſiſſe Pipinum, antequam in ortiuis ex patris, qui præſens aderat, mandato vxorem ſibi copulaſſet. Pag. 171. Ex quibus manifeſtum eſt, à Dominico perperàm affirmari, Pipini nuptias Attiniaci in occiduâ Franciâ celebratas, antequam Ludouicus Pius in Arduennam ſe conferret; cùm id in ortiuâ vltra Moſam factum conſtet ex verbis Eginarthi & aliorum rectè intellectis. Mihi equidem credi nolo, ſed antiquis Auctoribus.

LAMPAS IV.

In Auſtraſiâ ſtabilitur Thietberti Comitis Matrica, quæ fuit Romanum opus, & ſpecula tutandi ad Moſellam limitis.

In Antiquit. Matiſcon. Lib. 4. cap. 110. Lib. 8. cap. 20.

PETRVS San-Iulianus *Teutbertum Comitem Matricenſem*, qui filiam ſuam Pipino Regi Aquitaniæ in vxorem dederat, interpretatur *Matiſconenſem*, quia in Aimoino quodam MS. legerat *Matticenſis* pro *Matricenſis*. Et certè *Matiſconem* Cæſaris ad Ararim ſitam Gregorius Turonenſis vocat *vrbem Maticenſem*; & in Notitiâ Prouinciarum & Ciuitatum Galliæ, ex veteri membranâ Alexandri Petauij legitur *Caſtrum Maticenſe* pro *Matiſconenſe*. Sed quia in alijs omnibus Aimoini Codicibus, in Eginartho, Conrado Vrſpergenſi, Annalibus Metenſibus & Bertinianis conſtanter legitur *Matricenſis*; non eſt quòd *Matricam*, vel *Matricum*, in Matiſcone ad Ararim inueſtigemus. Quinimò ſi San-Iuliani lectio illa ſincera eſſet, poſſet quis ſuſpicari, *Matticenſem* Thietberti Comitatum fuiſſe *Mettingowenſem*, in quo ſitum olim erat Luxemburgum: circa quod oppidum ſuperſunt veſtigia nominis *Matticenſis* in loco *Mettendal*, duobus inde paruis milliaribus; & in alio

Metzich,

Metzich, æqualis à Luxemburgo diſtantiæ, vbi Romana monumenta effodiuntur.

Vero ſimiliùs Sanmarthani, Fauchetus, & Dupleixius, propterea quòd ex Eginartho clarè colligeretur, Matricenſem Comitatum in Auſtraſiâ ſitum fuiſſe, pro *Matricenſi* verterunt *Metenſem*; ac ſi *Mediomatricenſes* per aphæreſim dicti eſſent *Matricenſes*. Figura certè illa paſſim & olim obtinuit; quam tamen Præneſtini præcipuè peculiari vitio vſurparunt, vt notare eſt in Plauto:

Rabonem habeto, mecum vt hanc noctem ſies. Trucul.
Perij, RABONEM? *quam eſſe dicam hanc belluam?* act. 3. ſc. 2.
Quin tu ARRABONEM *dicis?* AR. *Facito lucri*;
Vt Præneſtinis CONIA *pro* CICONIA *eſt.*

Notant alij, hoc exemplo *Syriam* pro *Aſſyriâ* dici, *Spaniam* pro *Hiſpaniâ*, *Spalenſe* pro *Hiſpalenſi*: vt vero ſimile ſit potuiſſe ſcribi *Matricenſis* pro *Mediomatricenſis*; ſicuti licentiâ eâdem *Mediomatricos* populos Hadrianus Iunius vocauit *Matricos*, & Blondus Flauius *Matricorenſes*. Verùm quia vetuſtiorum non ſuffragatur auctoritas, malo in eâ permanere ſententiâ, quòd *Matricenſis Comes* dictus ſit à *Matricâ*, de quâ, præter ea quæ iam attuli, alia haud vulgaria hîc ſubijcio. Certè vt veteris monetæ pretium à multis ignoratur; ſic & priſcæ huius vocis, quam rarò vſurparunt Scriptores, neque Grammatici enuclearunt. In Nomencl. c. 51. L. 1. dec. 1.

Vt ergo in Geographiâ multiplex occurrit Mediolanum, Vienna, Colonia, Lugdunum, & ſimilia; ſic & *Matrica* multiplex olim fuit. *Matricam* in Paphlagoniâ LX. ſtadijs à Gangrâ diſtantem memorat Metaphraſtes: quo in loco Callynicus Martyr inſigne miraculum patrauit. *Matricam* alteram in Pannoniâ inferiori ſic indicauit Antoninus in Itinerario: *Vetuſſalina* IN MEDIO *Matrica*. Hoc eſt, vt Pancirolus explicat, *in medio à Matricâ itinere*. Vetuſſalina enim Matricam inter & Interciſam media pingitur in Notitiâ Imperij Romani, ſub Duce Prouinciæ Valeriæ. Apud Surium 29. Iul. c. 29. Comm. ad Notitiam.

Tertiam in Auſtraſiâ, ſiue mediâ Franciâ, illuſtrem præ alijs MATRICAM indigitat ciuitas Metenſis, dicta olim MEDIOMATRICVM & MEDIOMATRICA, vti *Mediolanum* & *Mediolana*; *Louanium* & *Louania*. Ab Aimoino Monacho inter Belgarum vrbes inclytas & famoſas nominatur *Mettis*, *quæ & MEDIOMATRICVM*. Vita Ludouici Pij de Rege Lothario eius filio: *Voſagum per Mauri Monaſterium tranſijt, & MEDIOMATRICVM, quæ altero nomine METIS vocatur, peruenit*. Regino de Ludouico Pio in inſulâ Rheni iuxta Ingelheim vitâ functo: *Inde* MEDIOMATRICVM *deportatus, in Baſilicâ* L. 1. c. 5. Ad an. 833. Ad an. 840.

Ad an. 865. *S. Arnulphi honorabiliter ſepulturæ mandatur.* Annales Metenſes de Colonienſi & Treuirenſi Archiepiſcopis: *Libellum obtulerunt, in quo continebantur geſta ſynodalia, quæ* MEDIOMATRICO *& Aquis ab eis* Ad an. 882. *ſtatuta fuerant.* Annales ijdem de Normannis: *Ciuitatem Treuirorum flammis exurentes,* MEDIOMATRICO *dirigunt aciem.* Ad an. 905. Regino iterùm: *Compoſitis in Orientali Franciâ rebus, Rex* MEDIOMATRICVM *venit.*

Apud Meuriſſ. p.151. Vetus membrana Hilariaci, ſcripta anno DCC. XXXIV. *Sigibaldus* MEDIOMATRICAE *Metropolis Antiſtes.* Charta Gorzienſis anni DCCC. XLIX. iam à nobis adducta: *Drogo gratiâ Dei* MEDIOMATRICAE *Vrbis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Sacri Palatij primus Capellanus.* Lotharius Imperator in chartâ anni DCCC. LV. vbi loquitur Meuriſſ. p.271. de Monaſterio S. Arnulphi: *Quod eſt conſtructum haud longè à mœnibus* MEDIOMATRICAE *vrbis.* Chronicum manuſcriptum S. Trudonis: P.2. l.3. c.7. *Anno Domini* DCCCC. XLIV. *Adelbero* MEDIOMATRICAE *Sedis Epiſcopus, onus prælaturæ huius Monaſterij aſſumens, Abbas efficitur.* Wibertus in Vitâ S. Leonis PP. IX. vbi agit de Adelberone, qui deinde Anno 1046. fuit tertius eius nominis Metenſium Epiſcopus: *Qui poſteà ad Antiſtitium* MEDIOMATRICAE *vrbis voto cleri & plebis magis quàm ſuo aſſumptus.* Charta anni M.LXV. ex Archiuo ſancti Trudonis: Miræus Donat. piar. c.55. *Domnus Theodoricus* MEDIOMATRICAE *Sedis Epiſcopus in Cœnobio S. Trudonis per aliquot dies moratus.*

In Itiner. p.408. Ad hæc audiendus Zurita, vbi Antonini Auguſti iſthæc verba, *Ad ſtatuas, in medio Aliſca,* ſic interpretatur: *Hoc titulo quid Auctor indicet ex his verbis* IN MEDIO, *ſatis apparet; id eſt,* IN MEDIO ITINERE, *ex vnâ ad alteram manſionem, inſignem aliquam relinqui ſtationem.* Sequiori æuo intra montium Vogeſi clauſtra ſurrexit Monaſterium, Brouuerus ad an.768. *quod* MEDIANVM *appellari placuit, quia inter duo non obſcuri nominis alia ſtaret* MEDIVM, *alterum Senonienſe, alterum Deodatenſe.* Pari ratione, propterea quòd Metis ciuitas media via erat à Matricâ ad Tullum Leucorum, dicta eſt *Mediomatrica.* Quia ergo Matricam ſic habemus in Auſtraſiâ, vbi Ludouicus Pius Pipinum filium Thietberti Comitis Matricenſis filiæ iunxit; non eſt quod huius Comitatum Matricenſem in Normanniâ inueſtigemus. Adieci, frequentem tunc fuiſſe in Auſtraſiâ Theuberti ſiue Thietberti appellationem; quod ſtabilitur Euæ Comitiſſæ Caluomontenſis chartâ anni Cheſne prob. Lux. pag.4. CM.LXIII. quæ firmata eſt *ſigno Friderici Ducis,* SIGNO THIEBERTI *Palatini Comitis,* & aliorum.

Effertur Matrica noſtra Teutonicè MAKEREN, hoc eſt *opus*; cui appellationi reſpondet Latinum *Matrica,* hoc eſt ſtructum ex materiâ opus. Sic autem definitur materia in veteribus Gloſſis verborum Iuris:

Iuris: Ματέρια τὰ εἰς οἰκοδομὴν ἢ ὑπόρτωσιν ἀναγκαῖα ξύλα: *Ad ædificandum vel ſubſtruendum neceſſaria ligna.* Nam quod *comburendi cauſâ paratum eſt*, materiæ nomine non comprehenditur. Atque à materiâ dictus eſt *Materiarius*. Plautus in milite: *Si non nos* MATERIARIVS *remoratur, quo quidem opus eſt, citò erit parata nauis.* A materiâ item dicta eſt *Matrica*, & *Matricarius*; *Matricula*, & *Matricularius.* Gloſſæ Baſilicæ: Ματρίκιον ἡ ἀναγραφὴ τῶν στρατιωτῶν: *Matricula index militum.* Quia nempe Catalogus ille fiebat in libro, ſiue cortice arboris, tenuiore ligni materiâ, diminutè dicebatur *Matricula.* Opportunè Cedrenus: *Liber & codex idem habentur. Propriè autem codex truncum ſignificat, liber corticem. Eadem* MATRICVLA (Ματρίκια) *nuncupantur: &* MATRICARII, *qui ligna conficiunt.* Ita vertit Xylander. Extenditur tamen (docente Voſſio) *Matricarij* ſignificatio ad *Materiarios,* ſiue Fabros quoſcumque, qui tractant materiam duram, operibuſque omnibus idoneam, vt lignum, ferrum, æs, ſaxa, lapides, & ſimilia. Cui explicationi Plinius fauet, vbi *Dædalum* tradit *inueniſſe* MATERIARVM *fabricam, & in eâ ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram;* quæ ſunt fabrilia materiæ durioris inſtrumenta. Fauet quoque Imperatoris Nouella XIII. de Prætoribus populi: *Aſſiſtunt autem eis* (in incendijs) *& viceni milites, & triceni matricarij:* illi nempe ad arcendos fures, iſti verò vt fabrilibus inſtrumentis, ſeu ferreis, ſeu ligneis, agant quæ ſunt neceſſaria.

L. 55. D. de Legat. 3

In Comp. Hiſtor.

De Vitijs ſermonis.

L. 7. c. 56.

Vt ergo *Materiarij* dicti ſunt à *materiâ*; *Matricularij* à *matriculâ*; ſic & *Matricarij* à *matricâ*, id eſt, *ab opere*, quod ipſi perficiebant. Et quemadmodum *Fabri* opus dictum eſt *fabrica*; ſic & *Matricarij matrica*; maximè cùm tot occurrant in Geographiâ *Matricæ*, quæ ſunt ſtructa per architectos iuſſu Principum Caſtella, Burgi, Prætoria. Vnde vt à *fabricâ* factum eſt *Fabricenſis*; ſic etiam à *matricâ* *Matricenſis.*

Ceterùm Matricam noſtram opus fuiſſe Romanum arx probat, quæ in monte apud *Makeren* ruinoſa extat, vbi numiſmata æternis Cæſarum factis impreſſa effodiuntur: & profectò mihi non eſt dubium, Thietberti Comitis *Matricam* accenſeri debere villis, de quibus Auſonius ſuppreſſis nominibus agit, & ex illis vnam ſic deſcribit:

> *Illa tenens* COLLEM, *qui pluribus imminet* AMNI, — In Moſellâ, verſu 324.
> *Vſurpat faciles per culta, per aſpera viſus;*
> *Vtque ſuis fruitur diues* SPECVLATIO *terris:*
> *Quin etiam* RIGVIS *humili pede condita* PRATIS,
> *Compenſat* CELSI *bona naturalia* MONTIS:

SVBLIMIq; *minans irrumpit in æthera* TECTO,
Oſtendens ALTAM, *Pharos vt Memphytica*, TVRRIM.

Hic planè depingitur *Matrica noſtra*, ad cuius pedem rigua prata longè porriguntur, in quibus ſitum eſt hodiernum *Makeren*, riuulo ex monte delapſo præterfluente oppidum. Nec in toto inferiori Moſellâ, quem maximè Auſonius deſcripſit, vllus eſt locus vbi collis & mons tanta ad pedem prata habeat, eaque irrigua, ſicut apud iſtud *Makeren*.

At ne quis ſententiæ meæ diffidat, Moſellæ curſum in illo tractu ſic deſcripſit Brouuerus: *Moſella maiore iam aquarum pabulo lætus, & per agri fertiliſſimi prata diffuſior, vbi iuxta Reiſeburgum Ornum recepit, Theodanis villam verſus tenet impetum: quod oppidum Caroli Magni commoratione & Regum conuentibus eſt celebre. Hinc in Orientem ferè ſpectans, eâdem facie* REGIS MACHRAM [Coningsmakeren] *peruenit; & varijs inde ambagibus Circium oppidum, mox agros fructuoſos, monteſque vitiferos hinc & inde lætificans, non ſine nemorum vmbris adit* COMITIS MACHRAM [Greuenmakeren:] *atque ita curſu in Solſtitialem orientem poſthac abducto, ſurgentium iam inde montium crepidine magis incipit premi.* (In Ann. Treuir.)

Cononem Treuirorum Archiepiſcopum imitatus eſt Brouuerus, qui in *Chronico Treuirenſi*, quod vulgò *Cononis* vocant, ante annos ferè CCC. *Matricam* noſtram nominauit MACRAM. Alibi oſtendi locorum vocabula, quæ Galli breuiabant, Latinos produxiſſe; vnde ex *macra* factum eſt *Matrica*; vt ex *maltra* (genus eſt menſuræ frumentariæ) *maltera*: quod legitur apud Scriptores rerum Germanicarum ab Vrſtitio editos. Sic etiam in Moſellæ tractu *Alcia* fluuius in chartis Latinis vocatur *Alſoncia*; & ab Auſonio *Alizontia*: qui etiam Vates *Sarram* & *Dronum* Latino more extendens, *Sarauum* dixit & *Drabonum*.

Matrica porrò noſtra bellis olim diruta, à Thietberto Comite ad habitandum inſtaurata, nuncupata eſt Greuenmakeren/ hoc eſt *Comitis Matrica*: vti in eodem tractu Koninsmakeren/ ſiue *Regis Matrica*, nomen inde habet, quòd à Ioanne Bohemiæ Rege, Luxemburgi Comite, muris cincta fuerit: quemadmodum etiam non longè à Luxemburgo villa Greuenſcheuur in Documentis Clarifontis Cœnobij Virginum Ciſtercienſium prope Aralunum vocatur *Grangia Comitiſſæ*, eò quòd Ermeſindis, mater Henrici Blondelli Comitis Luxemburgij, eam villam conſtruxerit.

In quo porrò latè patentis Arduennæ tractu ſita fuerit *Matrica noſtra*, docemur à Dagoberto Rege, cuius hæc ſunt verba in chartâ

Codicis

Codicis Monaſterij de Horreo, datâ Treuiris anno Regni eius ſecundo: *Comperiat ergo omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium præſentium & futurorum induſtria, quia rogatu dilectæ coniugis noſtræ* NANTILDIS, *in Monaſterio in Treuericâ valle, in honore Sanctæ Dei Genitricis ab* IRMINA *filiâ noſtrâ conſtructo, & Sanctimonialium coadunatione decorato, ex rebus proprietatis noſtræ, in pago Muſlenſe, in* MARCA *Burenſe, has villas*, MACHARA, *Corniche*, *Baldebrunæo*, *Hildaneſcheim*, *Walcheim*, *Speia*, *Brunneche*, *cum ceteris cultis & incultis*, &c. *legali auctoritate contradimus*, &c. Vt gemmis nubeculæ quædam interueniunt, quæ ſplendorem fuſcant; ſic & chartæ huic regiæ vitium eſt, quod eius nitorem lædit: vbi enim ſcribitur, *in Marca Burenſe*, planè mendum amanuenſis videtur, legendumque *Bedenſe*. Etenim qui Macharæ adiacent alij pagi ſunt iſti, *Moſlenſis*, *Waldeleſinganus*, *Mettingowenſis*, *Eifflenſis*, qui ad *Burenſe* vocabulum non poſſunt referri. Prætereà ex chartis antiquis *Dundeba* (Luxemburgum inter & Macharam, à quâ diſtat leucâ horariâ) erat in Comitatu Bedenſi. In Moſlenſi verò pago, leucâ ſimiliter vnâ ſupra Macharam, ſita eſt *Warmeringa*. In eodem pago *Bilacus*, dimidiâ leucâ Macharam infra. Ex quibus optimè infertur, Bedenſem pagum prope Macharam Moſlenſi pago inſertum fuiſſe; adeoque *Macharam* fuiſſe tractus illius *Marcam*, vt inſinuat Rex Dagobertus. *Marca* enim, ſiue *Marcha*, erat limes, ſeu finis cuiuſque ditionis & Prouinciæ, cui *Comes Marcæ*, *Marchio*, ſiue *Marchiſus* præpoſitus erat. Vnde colligitur, Thietbertum non fuiſſe modò Arduennæ Comitem, ſed etiam Matricæ incolam, & limitis ad Moſellam Marchiſum, cum iure indicendæ vigiliæ; & ex illâ habitatione cognominatum fuiſſe *Comitem Matricenſem:* vti in Legibus Neapolitanis memoratur *caſtrum, vnde Baronia, vel Comitatus, nomen aſſumpſit*. Ad illam porrò Thietberti Marcam iuuat quòd de Matricâ noſtrâ Auſonius cecinit: L.3.tit.14. lege 1.

Oſtendens ALTAM, *Pharos vt Memphytica*, TVRRIM.

Illam turrim Ægyptiam ſic deſcripſit Plinius: *Magnificatur &* ALTA TVRRIS *à Rege facta in Inſulâ Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quam conſtitiſſe octingentis talentis tradunt; magno animo, ne quid omittamus, Ptolomæi Regis, quòd in eâ permiſerit Soſtrati Gnidij Architecti ſtructuræ ipſius nomen inſcribi. Vſus eius nocturno nauium curſui ignes oſtendere ad prænuntianda vada, portuſque introitum.* Turris Matricæ noſtræ alta, quam Memphyticæ comparat Auſonius, haud abſimilis erat ſpecula, ex quâ ſtatarij excubitores ad loci cuſtodiam & limitis tutelam aduigilabant. L.36.c.12.

LAM-

LAMPAS V.

Matrica Thietberti Comitis ſita erat ad viam militarem, quæ à Diuoduro ſeu Mediomatricâ Treuiros tendit.

L.3. c.10. INTER Vrbis admiranda recenſet ex Dionyſio Lipſius *viarum munitiones*, quæ totam Imperij ſuperficiem: vt ramoſi riuorum diſcurſus deſcribebant: vſus erat ad militum iter, *ne ambulantes recederent à ſignis*. Ad illas autem vias ſitæ erant ciuitates, oppida, villæ, prætoria, in quibus *commeatuum parata ſibi ſubſidia milites inuenirent, donec ad locum perueniſſent, vbi feſſis exercitibus requies miniſtrabatur*. D. Ambroſ. in Pſalmos.

Dixi Matricam Thietberti Comitis ſitam fuiſſe ad viam militarem, quæ à Mediomatricâ Treuiros ducit; quod cùm inficietur Dominicus, operæ pretium eſt iterùm examinare, *Matrica* noſtra *ſi quâ poteſtur inueſtigari* VIA, vt loquitur Pacuuius. Pag.173.

Itineraria duo, quæ habemus, Antonini & Peutingeri, mutila ſunt, manca & detorta: nam præterquam quod valdè varia ſunt in deſignandis locorum diſtantijs exemplaria; multa in illis omittuntur itinera, quæ etiamnum extant: pleræque manſiones, vici, villæ, caſtella in vno repeiuntur, quæ abſunt ab alio. Cùm enim, Vegetio tradente, *militari gradu viginti millia paſſuum horis quinque duntaxat æſtiuis conficienda eſſent*; vbi longius erat iter inter duas ciuitates, neceſſariæ erant intermediæ ſtationes & manſiones, in quibus milites quieſcerent, cibo ſe reficerent, & pernoctarent. Profectò quamuis olim æſtiuæ horæ diei naturalis longiores hybernis eſſent; quinis tamen miles armis ſarcinisque onuſtus, & lentè gradiens, vicies mille paſſus conficere non poterat. Intelligendùm ergò illud iter à Vegetio indicatum, vbi celeritate opus erat; vt dum Cæſar, periclitante M. Cicerone, cùm M. Craſſus horâ diei tertiâ aduenisset, *eo die circiter viginti millia paſſuum progreſſus eſt*. Hodie propter impedimenta, carros, & maiora ex ære tormenta, exercitus Regij tot millia paſſuum vno die conficere non poſſunt. Cluuerius in præf. de Geogr. antiquâ. L.1. c.9. Lib. 5. Com.

In medio foro Bagaci Neruiorum (oppidum eſt Hannoniæ *Bauay*) ſupereſt columna milliaria, ex quâ ſeptem viæ Romanorum militares (alij octo numerant) oriuntur: Prima tendit Tornacum, & inde diſpertita Taruanam, Geſſoriacum, & Caſtellum Morinorum; Secunda Cameracum, & inde Samarobrinam Ambianorum; Tertia Sueſſiones; Quarta Durocortorum Rhemorum; Quinta Auguſtam

Treui-

Treuirorum ; Sexta Aduagam Tungrorum , & inde Moſæ Traiectum; Septima Inſulam Batauorum. Nihilominùs in Itinerario Antonini prima, ſecunda & quarta dumtaxat indicantur;quatuor aliæ, quarum hodieque veſtigia ſuperſunt, prætermittuntur. In alijs itidem itineribus Antoninus, omiſſis manſionibus intermedijs, præcipuas tantùm ciuitates collocat. Exemplum è re noſtrâ.

A Diuoduro ſeu Mediomatricâ plures viæ militares Treuiros ducunt: prior ad dextram fluentis Moſellæ fluminis in Itinerario Antonini non extat: ſic autem exprimitur in Peutingeri Tabulâ:

AVGVSTA TREVIRORVM. XX.	*Treues.*
RICCIACO. X.	*Ritzich.*
CARAMVSCA. X.	*Accaberg.*
DIVODVRVM MEDIOMATRICORVM. XLII.	*Metz.*

Diuodurum ea eſt Belgicæ primæ *ciuitas*, quæ à Gregorio Turonenſi cognominatur *Metenſis*;ab Aduentio Epiſcopo *vrbs Metica*; ab alijs *Mediomatrica*,& *Metis*, hoc eſt,*Media* dicitur. Illâ ergo viâ à Treuiris Diuodurum vſque notantur millia paſſuum LXII. Sed emendat Cluuerius,& in poſtremo numero pro millibus XLII. reponit XXII. Ego demerem ſolùm L. cùm à Caramuſcâ Diuodurum vſque ſint dumtaxat milliaria duodecim Romana. L.2.c.6.7. l.8.c.36. Apud Baron. an. 862.n.30.

Ceterùm duabus leucis infra Theodonis villam, vbi ex aduerſo littore *Canera* fluuiolus apud *Kuningsmackeren* in Moſellam influit, mons eſt dictus ACCABERG; vbi multa rudera & nummi Romani inueniuntur. Per hunc montem veſtigia viæ militaris à Ricciaco Metas vſque apparent. Hunc cenſeam eſſe *Caramuſcam*, ſiue *Caranuſcam* tabulæ Peutingerianæ: conuenit enim ſtationum ordo, vt Treuiris Ricciacum, inde Caranuſcam, hinc Metas pergatur. Fauet ſimilitudo nominis; nam ex *Accarano* facile fit *Caranuſca*; præſertim ſi adſit ſyllabarum diuortium, vt olim in tabulis Geographicis, & nunc interdum fit. Potuit enim ſparſim in antiquioribus ſcriptum ſic fuiſſe, CARANVS;quæ rudis libellio malè iungens ſcripſerit ...-CARANVSCA, cùm ſcribendum eſſet ACCARANVS, ſupple *mons*. Hac admiſsâ coniecturâ, ſic corrigendum eſſet iter:

AVGVSTA TREVIRORVM. XX.	*Treues.*
RICCIACO. X.	*Ritzich.*
ACCARANVS. X.	*Accaberg.*
DIVODVRVM MEDIOMATRICORVM XII.	*Metz.*

Vt ſint in totum à Treuiris Metas vſque, hoc itinere, millia paſſuum Romana XXXII.

Altera militaris via ad læuam defluentis Moſellæ, à Diuoduro,

ſiue Mediomatricâ, Treuiros fertur per *Rodemakeren*; vnde ducit ad *Preiſch*; tum per planiciem, quæ eſt inter *Fildorff* & *Dalem*, ad *Haſſel*; & ſupra *Flacſveiler* tranſiens, per ſyluoſa loca fertur ad *Greuenmacheren*, deſinitque in Auguſtam Treuirorum. Totum illud iter ſuis ipſe oculis luſtrauit litteratiſſimus Societatis IESV Sacerdos *Alexander Wiltheim* Luxemburgenſis, & Dalemi obſeruauit caſtrorum veſtigia, in quibus numiſmata, vrnæ, & alia æui Romani monumenta reperiuntur: vt iam negare non poſſit Dominicus Matricam noſtram fuiſſe ad viam militarem, quæ à Diuoduro ſeu Mediomatricâ Treueros ducit. In Itinerario tamen Antonini illæ manſiones intermediæ non exprimuntur.

In itinere à Lugduno, capite Germaniarum, Argentoratum.

NOVIOMAGVM. M. P. XXXVII.	*Neumagen.*
TREVEROS. M. P. XIII.	*Treues.*
DIVODVRVM. M. P. XXXIV.	*Metz.*
PONTEM SARVIX. M. P. XXIIII.	*Sarbruch.*
ARGENTORATO. M. P. XXII.	*Strasburg.*

A Treuiris Diuodurum vſque, hoc itinere, numerantur millia paſſuum XXXIV. quæ ne *pleno* quidem *gradu, qui citatior erat*, milites perficere poterant. Erant ergo aliæ in medio manſiones, quas prætermiſit Antoninus. illas enim in vijs frequentes fuiſſe clarè docuit Hilarius Pictauienſis ſæculo quarto: *In communibus & terrenis vijs legem meminimus eſſe in ſpatijs menſuras, cùm* PASSVVM MILLE *interuallo quædam legis* VIÆ *ſigna ſtatuuntur; cùm* MANSIONVM REQVIES *diſponitur; cùm vſque* AD VRBEM, *refectione* VIANTIVM, *congrua rurſum* MANSIONVM *interualla dimenſa ſunt.*

Veget. loc. cit.

In Pſal. 118. c. 5.

In alio itinere, de Pannonijs in Gallias, per mediterranea loca.

ARGENTORATVM. M. P. XXXIX.	*Straſburg.*
TABERNAS. M. P. XIIII.	*Sauerne.*
DECEM PAGOS. M. P. XX.	*Dieuze.*
DIVODVRVM. M. P. XX.	*Metz.*
* * * M. P. XII.	. . . . .
TREVEROS. M. P. XVI.	*Treues.*

Pag. 53. Sic habet accuratior editio Hieronymi Zuritæ ex Ouetenſi vetuſtiſſimo exemplari, quod ſeruatur in Bibliothecâ Regiâ ad S. Laurentium in Eſcuriaco, cum illâ ſine nomine lacunâ, vbi haud dubiè domicilium & ſtatio aliqua inſignis erat. Quia porrò totum illud iter breuius, à Diuoduro Treuiros, eſt millium paſſuum XXVIII. ſi demantur ſex millia paſſuum Romana, quæ ſunt inter Treuiros & *Makeren*; ſupererunt inter *Makeren* & *Diuodurum* millia paſſuum

ſuum XXII. iuſtum iter Romanum à Diuoduro Tullum Leucorum, quod ab Antonino ſic deſcribitur.

In itinere à Durocortoro Diuodurum vſque.

NASIVM. M. P. IX.	*Nancy.*
TVLLVM. M. P. XVI.	*Toul.*
SCARPONNAM. M. P. X.	*Charpaigne.*
DIVODVRVM. M. P. XII.	*Metz.*

Milliaria enim noſtra Romanis non reſpondent. Quandoquidem igitur Diuodurum medio itinere ſitum erat inter Macram Comitis & Tullum Leucorum; iure merito credi debet *Macram* illam fuiſſe *Matricam veterem*, à quâ *Diuodurum* dictum eſt *Medio Matrica*; quemadmodum in Pannoniâ inferiori *Vetuſſalina* ab Antonino ponitur *in Medio-Matricâ*, quia in medio ab aliâ Matricâ itinere conſtituta erat. Neque minor eſt ratio cur *Makeren* ſumatur pro Matricâ Auſtraſiæ, quam *Theten* pro Matricâ Pannoniæ, vt iſtam interpretatur Simlerus. Pancirolus. In Schol. ad Ant. Itiner.

Aliud iter ab Argentoraro Diuodurum, quod litteraturæ oſtentatione Dominicus ex Peutingeri tabulâ refert: alia item duo, *à Durocortoro Diuodurum*, quæ ex Antonini Itinerario, ad rem nihil faciunt; cùm Matricam noſtram Treuiros inter & Diuodurum ſitam fuiſſe clarè affirmarim. Ep.175.

Denique quoniam à *Medio* ortum eſt *Mete* Teutonicum, Latinum *Metis*, & Gallicum *Metz*; non eſt dubium, *Mediomatricam* compoſitam eſſe vocem à *Medio* & *Matrica*; & ab illâ populos *Mediomatricos*, vel *Mediomatrices* cognominatos, non autem ab illis *Mediomatricam*. In ambiguis potior eſt accipienda ſignificatio, reiectâ eius rei imagine, quæ falsâ quadam ſpecie nobis illudit. Itaque ſublato *Madriaci* & *Matricæ* rudi æquiuoco, *Comites Madriacenſes* in Neuſtriâ imaginarij manent; & origo Hugonis Capeti, quam Bouchetus vt veram obtrudit, omnino fabuloſa. *Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi: tenue eſt mendacium; perlucet ſi diligenter inſpexeris.* Seneca Ep.79.

LAMPAS VI.

Aliæ Dominici tricæ genealogicæ leui manu diſſoluuntur.

I. DE DVOBVS HVGONIBVS CAROLI MAGNI NOTHIS.

QVAMQVAM oſtenderim meridianâ luce clarius, Carolo Magno duos fuiſſe filios naturales nomine *Hugones*; ſe-
Pag. 205. cùs tamen viſum aduerſario, quòd vnius tantùm ex Reginâ procreati meminerit Eginarthus: ſed & alia Auctorem illum alioqui fidum latuêre, quorum nihilominùs certa perſpectaque fides: ille ſiquidem filiam Regis Longobardorum Deſiderij, quam matris hortatu vxorem primam duxit Carolus Magnus, & poſt annum repudiauit, non nominat; quam tamen nuncupatam
Ad an. 770. fuiſſe *Sibiliam* Albericus annotauit. Omiſit etiam Eginarthus nomen concubinæ, quod memoriæ non occurrebat; & filiæ, quam ex illâ Carolus habuerat viuente Faſtradâ vxore; hoc eſt, ante annum DCC. XCIV. quo Faſtrada obijt. Non ergo mirum, ſi *Hugonem* Caroli filium, Noualicienſem in Italiâ Monachum & Abbatem, prætermiſit, qui natus erat circa an. DCC. LXV. quo Carolus Regio iure nondum imperabat, neque in eius aulâ ipſe Eginarthus verſabatur.

Vrget Dominicus (cuius crebræ catapultæ in me fruſtrà commeant) & opinioni ſuæ ſuffragari ait Vitam ipſius Hugonis, quam
28. Ian. daturum ſe ſpopondit Clariſſ. Societatis IESV Presbyter Ioan. Bollandus, dum Sanctos XIII. Iunij celebratos proſequetur. Atqui nihil tale pollicitus eſt veteris ſanctimoniæ doctiſſimus inſtaurator, qui à me per litteras rogatus, vt Vitam illam, ſi haberet, mecum communicaret; ſic reſpondit X. menſis Maij huius anni M. DC. XLVIII. *Vitam* HVGONIS *Abbatis filij Caroli Magni nullam habeo, niſi quæ extat Tomo II. Francicorum ſcriptorum Du Cheſne: imò ne nomen quidem illius in vllo Martyrologio ad* XIII. *Iunij extat. Doleo mihi hanc deeſſe A. D. V. gratificandi opportunitatem.* Illa autem Acta Hugonis, quæ ex Chronico Noualicienſi Cheſneus edidit, ad antiquiorem alium Hugonem ſpectant, quàm qui à Reginâ concubinâ in lucem emiſſus eſt: de iſto poſteriori ſic Auctores meminêre. Bedanus Presbyter in Chronico
Ad an. 813. Moiſſiacenſi de Carolo Magno: *Commendauit ei* [Ludouico Pio] *filios ſuos*, DROGONE, THEVDERICO, ET HVGONE. Nithardus de
Ad an. 815. Ludouico Pio: *Fratres quoque adhuc tenerâ ætate*, DROGONEM, HVGONEM *atque* THEODERICVM *participes menſæ effecit, quos & in palatio*

latio vnà ſecum nutriri præcepit : & Bernardo nepoti ſuo , filio Pipini, Regnum Italiæ conceſſit: qui quoniam ab eo paulò pòſt defecit , capitur, & à Bertmundo, Lugdunenſis Prouinciæ Præfecto, luminibus pariter & vitâ priuatur. Hinc autem metuens, ne pòſt DICTI FRATRES *populo ſollicitato eadem facerent, ad conuentum publicum eos venire præcepit ,* TOTONDIT, *ac per Monaſteria ſub liberâ cuſtodiâ commendauit.* Iterùm Bedanus de Ludouico Pio: *Fratres ſuos ex concubinis matribus , id eſt, Drogonem, Theudericum, &* VGONEM, *quos ei pater commendauerat,* CLERICOS *fieri iuſſit , & per ſingula miſit Monaſteria.* Eginarthus ad annum DCCC. XXII: *Imperator , conſilio cum Epiſcopis & Optimatibus ſuis habito ,* FRATRIBVS SVIS, QVOS INVITOS TONDERI *iuſſit, reconciliatus eſt ;* & DE HOC FACTO *publicam confeſſionem fecit , &* POENITENTIAM *egit ; quod in eo conuentu, quod eodem anno menſe Auguſto Attiniaci habuit , in præſentiâ totius populi peregit.* Albericus anno DCCC. XXXV: *Hugo frater Imperatoris factus eſt Abbas ſancti Quintini.* Anno deinde DCCC.XXXVI: *Anno* LVDOVICI *Imperatoris* XXII. *Abbatis* HVGONIS, *fratris eiuſdem, anno ſecundo, eleuatum eſt corpus ſancti Quintini* VIII. *Kal. Nouembris , & optimo loco repoſitum in præſentiâ Eychardi Nouiomenſis , & Simonis Laudunenſis, Epiſcoporum. Si quidem Abbas Fulradus, qui fuit ante dictum Hugonem, Eccleſiam illam in melius renouando dilatauerat.* Tot characteres clarè docent illam tumulationem non factam anno DCCC. XXV. vt ex Auctore incerto, & haud dubiè corrupto, ſuadere niſus eſt Dominicus. Annales Bertiniani ad annum DCCC. XXXVIII. de Ludouico Pio: *Inuitante* HVGONE *fratre, & beati Quintini Martyris Monaſterij Abbate, eiuſdem Martyris feſtiuitate honorificè alacriterque celebratâ , Attiniacum perueniens, Carolum redeuntem ſuſcepit.* Fuit itaque clericali militiæ adſcriptus *Hugo* Reginæ filius anno DCCC. XVII. libertati redditus anno DCCC. XXII. factus Abbas S. Quintini non ante annum DCCC. XXXV. Quidni ergo totis tredecim annis , quibus liberam vitam duxit, inire coniugium potuit, ac deinde vxore orbatus vitam Eccleſiaſticam ſeriò amplecti ? Nihil ergo attulit Dominicus , quod de ſententiâ me dimoueat.

Ad an. 817.

Pag. 208.

II. DE CHRONICO DIVIONENSI.

OSTENDI, quod nunc ſeruatur in Monaſterio S. Benigni ſequioris æui apographum eſſe mendoſum & interpolatum. Nunc eadem quæ à me iam exploſa & reiecta ſunt, iterùm adfert Dominicus; additq; Patrem Vignerium, Congregationis Oratorij apud S. Maglorium Pariſijs Præfectum, palàm agnoſcere, Codicem, qui nunc ha-

Pag. 192.

betur Diuione, illum eumdem eſſe quo auus eius Nicolaus vſus eſt. Ad an. 887. Nicolaus tamen in Chronico rerum Burgundicarum, & in libello de Nobilitate familiæ Capeticæ, diſertè affirmat, *Chronicum Diuionenſe teſtari*, HVGONEM *Abbatem* ROBERTI *fratrem fuiſſe*; *Odonem & Robertum fuiſſe filios Roberti*. Quibus clarè inſinuat in primigenio exemplari, quod ipſe viderat, ſcriptum fuiſſe FRATRIS, non autem FRATRES. Si ergo in Codice, qui nunc Diuioni ſupereſt, legitur FRATRES; profectò Pater Vignerius auo ſuo litteratiſſimo vel oſcitantiæ vitium, vel falſitatis crimen imponit: & quo pacto inde ſe extricet equidem non video. Chronici apographa apud varios, quæ nobis obijciuntur, quia ex mendoſo Diuionenſi Codice recèns ſunt exſcripta, nullam merentur fidem.

III. DE ADELAIDE CONRADI VXORE, MATRE ROBERTI FORTIS.

ADVERSARII nequaquam probarunt, Adelaidem fuiſſe filiam Ludouici Pij Imp. quam dilucidè oſtendimus patrem habuiſſe Hugonem Burgundiæ Ducem: fingamus tamen illam Ludouico Pio L. 7. c. 6. edit. vet. genitam fuiſſe, & ſic ratiocinemur. Notant San-Marthani ex Francorum Annalibus, copulatam fuiſſe Ludouico Pio Ermengardem anno P. 14. DCC. XCVII. eam verò è viuis exceſſiſſe anno DCCC. XVIII. Bouchetus autē legitimas ex illo matrimonio proles recenſet hoc ordine:

1. LOTHARIVS *Imp. & Rex Italiæ: qui obijt anno 855.*
2. LVDOVICVS *Rex Germaniæ: qui obijt anno 877.*
3. ADELAIS *vxor Conradi Comitis; deinde Roberti Fortis.*
4. GISLA *vxor Euerardi Ducis Foro-Iulienſis.*
5. ALPAIS *vxor Beggonis Comitis.*
6. ROTRVDIS.
7. HILDEGARDIS *vxor Theodorici Comitis: quæ obijt anno 857.*
8. PIPINVS *Rex Aquitaniæ: qui obijt anno 838.*

Ex iſtâ ſerie Ludouicus Pius intra connubij cum Ermengarde annos XXI. octo ſuſcepiſſet proles, quarum ordine tertia eſſet Adelais; nata ideircò quam tardiſſimè, circa annum DCCC. VII. Conſtat porrò ex Herrico, Adelaidem fuiſſe vxorem Conradi Comitis, * Necrolog. S. Germ. Autiſſiod. qui diem obijt anno * DCCC. LXII. quo anno Adelais vel minimùm (ſi verus eſſet ordo natalium à Boucheto ſeruatus) annum ætatis egiſſet LV. adeoque ſecundò nupta Roberto Forti, non potuiſſet quinque proles ex illo ſuſcepiſſe, quia concipiendi annos iam pridem exceſſiſſet. Sed reuerà Adelais Ludouico Pio genita non eſt: neque Roberti Fortis vxor, ſed mater fuit.

IV. DE ROBERTI FORTIS LIBERIS.

QVIA dixi, Bouchetum Roberto Forti quinque proles aſſignaſſe; inſurgit Dominicus, meque in hac cauſâ ſubdolè verſari ait, cùm quatuor dumtaxat liberos Roberto Forti Bouchetus adſcripſerit. Atqui Bouchetus in ſuâ tabulâ quinos recenſuit, & iſtos quidem: Pag. 197. Pag. 127.

1. ODONEM *Regem.*
2. ROBERTVM I. *Regem.*
3. HILDEBRANTAM, *Heriberti II. Viromandua Comitis vxorem.*
4. *N. Emenoni Comiti Egoliſmæ nuptam.*
5. RICHILDIM, *Richardi Trecenſis coniugem.*

Totidemque numerarunt Boucheti ſequaces San-Marthani in poſtremâ Operis ſui editione. Vnde non in me dolus, non fraus, non cauillatio, ſed in ipſum Dominicum cadit. L.11. c.7.

V. DE BEATRICE ROBERTI I. REGIS VXORE.

AVCTOR Fragmenti de Deſtructionibus Eccleſiæ Corbeienſis, qui falsò tradit *Robertum I. Regem habuiſſe ſororem Heriberti de Peronâ in coniugio*; quamuis ab Andreâ Cheſneo editus fuerit ante Flodoardum, non idcircò ſequitur eo antiquiorem fuiſſe; quippe quem veteres Eccleſiæ ſuæ deſtructiones, diu poſtquam contigerant, veriſimile eſt deſcripſiſſe. Et ſi rectè expendatur poſtrema eius narratio de Emmone & Godardo Lotharingis, qui poſt Hunnos Corbeiam occuparunt, præteritum pridem Monaſterij ſtatum illic exprimi liquidò apparebit. Ceterùm, in hoc exſoluendo nodo vſus ſum auctoritate Flodoardi, æqualis & accuratiScriptoris; cui tantam fidem Baronius tribuit, vt ex eo alios omnes mendacij redarguerit. Pag.235. Anno 933. n.1. 954. n.1.

VI. DE NATALIBVS ERMENGARDIS ET IVDITHÆ IMPERATRICVM.

ATQVE hîc iterùm velim agnoſcas, Dominice, me non moroſum eſſe, non imprudentem, non cauillatorem, quibus tu conuitijs me afficis; ſed ingenuum & amantem veritatis, quæ odium in me tuum concitauit. Scio Guidonem & Albericum de Ermengarde agentes poſtponendos Thegano & Auctori Vitæ Ludouici Pij: & idcircò dixi, *non deeſſe, qui mallent audire Guidonem & Albericum*; non ego ipſe malui; ſed animi potiùs cauſâ quàm doctrinæ locutus ſum. Neque mirum eſt hominem non omnia humana nouiſſe. Pag.225. & 232.

De Iuditha Auctores meos produxi; eiuſdem cum San-Marthanis ſententiæ fui; etſi hæreo, & probabile iam exiſtimo Fridericum Vl- L.3. c.7.

traie-

traiectenſem ob aliam cauſam, quàm quòd Iudithæ nuptias reprehenderet, cæſum. Diu enim continuiſſet iram Iuditha, & feras exprompſiſſet querelas Fridericus, cùm illa nupſerit anno DCCC. XIX. hic anno DCCC.XXXVI. fuerit occiſus. At nullum hîc quæſtum facis, vir erudite, neque ex parte Ermengardis pro Septimaniæ Ducibus; quandoquidem Childebrandi totum ſtemma falſum eſſe demonſtraui: neque ex parte Iudithæ; quia ſi coniugis ſui Ludouici Pij conſanguinea non fuit, ipſum eſt quod petebam. Quoad reliqua, tuas ioculatorum cantilenas nihili duco; nec enim, vt olim *Marius Maximus, homo omnium verboſiſſimus*, mythiſtoricis voluminibus me implico.

Vopiſcus in Firmo.

VII. DE ADELAIDE ROBERTI II. REGIS MATRE.

Pag. 236.

ECCE quàm leuiter agat nouus ſacri Conſiſtorij conſiliarius. Hæc ſunt Helgaldi verba in Vitâ Roberti Regis, quam Franc. Cheſneus edidit: *Fuit Rex Francorum* ROBERTVS *origine natus nobiliſſimâ, patre Illuſtri* HVGONE, *matre* ADELAIDE *vocitatâ; quæ adeò benè laudata tanti* FILII *extitit prærogatiua. Eius inclyta progenies, ſicut* IPSE *ſuis ſanctis & humillimis aſſerebat verbis, ab* AVSONIAE *partibus deſcenderat.* Cenſet Dominicus originem illam Auſoniam attinere ad ipſum Robertum; quam tamen Helgaldi verba diſertè referunt ad eius matrem; quod & ipſi conſtanter agnouere San-Marthani. Sed pueriliter nugatur nouus Hiſtoricus, vbi addit, *ex Roberti Regis relatione colligi, in ipſius familiâ Anſberti & Ferreolorum traditionem nondum periiſſe; quos quia Romanos (licet Galli fuerint) audierat nuncupatos, ex Auſoniæ ſiue Italiæ partibus ſe deſcendiſſe bonâ fide ſuaſerit.* Error vnicus fundamentalis noui Conſiliarij mentem præcipitat ad hæc effugia, ineptias, deliria. Robertus II. Rex eamdem cum parente Hugone Capeto Saxonicam ſortiebatur originem, & ſic minimè Romanam, Narbonenſem aut Italicam.

In vtrâque editione.

VIII. DE WILLELMO NANGIO PERPERAM ADDVCTO ET EXPLICATO.

Pag. 239.

HÆc ſunt verba Nangij, quæ Dominicus edidit: ERMENGARDIS *verò nupta Comiti Namurciæ, de quâ deſcendit* BALDVINVS *Comes Hannoniæ; cuius filiam* ISABELLAM *deſponſauit* PHILIPPVS *Auguſtus Rex Francorum, & genuit ex eâ* LVDOVICVM *Regem, quem dicimus* ETIAM HOC MODO *deſcendiſſe de progenie Caroli Magni.* Hic me bonâ fide non agere admurmurat vir alioqui de litteris

teris benè meritus, cùm ex Nangio tradidi, *Iſabellæ Hannoniæ coniugio cum Ludouico VIII.* (dixi cum Philippo Secundo) *Regnum Francorum ad progeniem Caroli Magni rediiſſe.* Sed contrà haud ſincerâ fide mecum agit, cùm illi Nangij loco duos alios ſubiecerim, qui idipſum clarè affirmant. Prior eſt eiuſmodi: *In hoc ergo* [Ludouico VIII.] REDIIT REGNVM *ad ſtirpem* CAROLI MAGNI *Imperatoris, de quo originem ex parte matris dignoſcitur contraxiſſe.* Alter verò: *Per quem Ludouicum VIII. qui fuit pater S. Ludouici Regis, conſtat* REGNVM *Francorum* REDVCTVM *ad progeniem Caroli Magni.* Quod autem attinet ad clauſulam, *etiam hoc modo*, quâ Nangium vſum Dominicus ait, vt oſtenderet Imperatoris Magni genus ad Ludouicum Regem pluribus alijs ramis perueniſſe; profectò apud Nangium nullus alius occurrit Carolini ſanguinis in Reges Capetinos ductus, præter eum, quem à Mathilde (quam Ludouici iunioris Imperatoris filiam facit) in ipſum Hugonem Capetum deriuat; ſed falsò, vt fusè docui in Vindicijs Hiſpanicis capite ſecundo, & Lumine genealogico decimo quarto. Vind. Hiſp. p. 34. In Chron. ad an. 987.

Ceterùm vbi conſequenter Nangius adfert vaticinium SS. Walerici & Richarij in fauorem Capetinæ ſtirpis, hæcce verba ad Hugonem Magnum Sanctis adſcribit: *Pource que tu as fait noſtre requeſte, nous te faiſons à ſçauoir, que ta generation regnera au Royaume de France iuſques à ſept generations.* Ita legitur in Chronico MS. quod ipſemet Nangius ſe ex Latino in Gallicum profitetur conuertiſſe: vnde colligitur editioni Latinæ fraudulenter adiectum, *id est in perpetuum.* Seruatur Bruxellæ in Bibliot. Regiâ.

Reliquæ Dominici tricæ ſoluuntur ex fabuloſo Childebrandi ſtemmate, quod paſſim obtrudit, à nobis funditus deſtructo; ex Adalelmi, Odonis Regis auunculi, fictitio ſtemmate, in quo Robertum Fortem à Thietberto Matricenſi Comite falsò deducit; denique ex alijs pleriſque mythiſtoricis, & æquiuocis, ex quibus, vir aliàs ingenioſus, friuolas adeò concluſiones paſſim elicuit, vt confutari ſingillatim haud mereantur: neque otium ſuppetit, vt omnibus eius vlceribus medicinam adhibeamus.

LAMPAS VII.

Ortus PHILIPPI IV. *Regis Catholici à* CAROLO MAGNO *per Mathildem & Albradam,* LVDOVICI IV. *Regis filias.*

VT præcelſas ſplendidaſque Regum noſtrorum origines inimico animo eleuaret Dominicus, ſcripſit, Auſtriacorum Principum à Carolo Magno per feminas deductum genus commune eſſe cum omnibus Germaniæ Principibus, quos Auctor Stemmatis Lantgrauiorum Thuringiæ affirmat ortum duxiſſe à genere Carolorum. Sed auctoritatem abſolutè non meretur Anonymus XIII. ſæculi Scriptor, qui in Hiſtoriæ ſuæ veſtibulo caput ſtemmatis Thuringici conſtituit *quemdam Giſilæ conſanguineum* (ſic de illo dubiè loquitur) *de genere Caroli & Ludouici, nomine Ludouicum cum barbâ:* cuius in hunc modum meminit alter incertus æquè ac barbarus, qui ſæculo XV. hiſtoriam ſuam abſoluit: *Anno Domini* M. XV. CONRADVS *Francigena, quidam Dux Francorum, Imperator, habebat duos conſanguineos, ſcilicet* HVGONEM, *&* LVDOVICVM *fratrem ſuum, de ſtirpe Regum Franciæ progeniti, & multùm pecunioſi.* Quem ergo prior fecit conſanguineum Giſelæ, Conradi Salici vxoris, alter eiuſdem Conradi affirmauit conſanguineum.

Pag. 247.

Editus à Ioanne Piſtorio.

Hiſtoria Erphesf. cap. 11.

Subiunxit deinde Anonymus ille muſteus à Dominico laudatus haſce fabulas: CONRADVS *Imperator, Salicus dictus, genus duxit à nobilibus Romanorum, ſcilicet ab Æneâ, & poſteris ſuis: & vxor eius* GISELA *originem habuit à nobilibus Francorum, & à Priamo Troiano: vnde factum eſt, vt* HENRICVS *filius eorum, dictus Niger, tertius Rex, & ſecundus Imperator, omnem illam nobilitatem, ſcilicet Romanorum & Troianorum, in ſe haberet, & omnes poſteri eius.* Verum equidem eſt, Giſelam Imperatricem à Carolo Magno proſapiam duxiſſe, & pleroſque per illam Europæ Principes; ſed præcipuè, & cum natalium prærogatiuâ, noſtros Burgundiæ & Flandriæ Comites, Duces Burgundiæ, Auſtriacoſque Reges & Imperatores, vt clarè oſtendi in Vindicijs Hiſpanicis.

Cap. 10.

Eſt prætereà certo certius, ſanguinem Carolinum in pleroſque Germaniæ Principes à RVDOLPHO I. Cæſare Habsburgienſi deriuatum; quippe qui quatuor Imperij VII. Viris totidem filias matrimonio iunxit; GVTAM Wenceſlao Regi Bohemiæ; MECHTILDIM Ludouico Palatino; AGNETEM Alberto Saxoni; HEDVIGIM Othoni Brandeburgio; per quas præclarus Caroli ſanguis in alios S.R.I. Principes labentibus ſæculis per connubia clarè diffuſus.

Albertus Argentin. in Chron.

Nec

Nec negaui Capetinos Reges à Carolo Magno per feminarum coniunctiones legitimè procreatos; (non ſic ſenſi de Hugone Capeto;) ſed originis primatum noſtris vindicaui. *Eſt quidem Princeps in* GENERE *monſtrando,* inquit Sidonius, PARTIS PATERNÆ *prærogatiua: ſed tamen multum eſt quod debemus &* MATRIBVS : *non enim à nobis aliquid exilius fas eſt honorari, quòd pondera illarum, quàm quòd iſtorum ſemina ſumus.* Subiungit deinde Sidonius exemplum ex Virgilio, qui narrat Hetruſcos, cùm peregrinum quærerent & externum Ducem, qui aduerſus Mezentium exercitum regeret, eligere Pallantem Euandri filium non potuiſſe, quòd ex materno genere Italus eſſet, adeoque non peregrinus; *quòd patriæ pars computanda ſit & regio materna.* Sunt autem hæc Euandri verba apud Maronem: Lib. 4. Ep.21.

Gnatum exhortarer, ni miſtus MATRE *Sabellâ,* 8. Æneid.
Hinc PARTEM PATRIAE *traheret.*

Alio loco idem Apollinaris ius ad Regna ex matribus ſic inſinuat:

—— *Ricimerem* Car. 2.
In Regnum DVO REGNA *vocant; nam* PATRE *Sueuus,*
A GENETRICE *Getes:*

id eſt *Gothus* : illum enim P.Diaconus *proſapiâ Gothum* nuncupat. Oſtendi pluribus tabulis, PHILIPPVM IV. Regem Catholicum per pleraſque ex Carolinâ ſtirpe proauias, propter ortus primitiuam, ad Regnum Franciæ capeſſendum iure merito vocari. In Leone Aug.

Quia tamen obiter dixi, me non inueniſſe Reges noſtros à Mathilde Ludouici Regis, dicti Tranſmarini, filiâ originem traxiſſe; lapſus fuit memoriæ paulò auidiùs ad alia properantis; quandoquidem luculentum ab illâ ortum iam indicaram, & in hunc quidem modum: Lum. Geneal.14. Vindic. Hiſpan. c.10.

10. CAROLVS MAGNVS Imperator: vxor Hildegardis.
11. LVDOVICVS PIVS Imperator: vxor Iuditha.
12. CAROLVS CALVVS Imperator: vxor Ermentrudis.
13. LVDOVICVS BALBVS Rex: vxor Adelheis.
14. CAROLVS SIMPLEX Rex: vxor Ogiua.
15. LVDOVICVS TRANSMARINVS Rex: vxor Gerberga Saxonica.
16. MATHILDIS vxor Conradi Regis Burgundiæ, mater Rodulphi.
17. GERBERGA, ſiue Guepa, vxor Hermanni Ducis Sueuiæ.
18. GISELA vxor Conradi Salici Imperatoris.

Vide reliquam ſeriem in Vindicijs Hiſpanicis paginâ 98.

Albericus ad annum M. XXIV: *Soror autem vltimi* LOTHARII

Francorum Regis, & Ducis KAROLI, *nomine* MATHILDIS, *poſt mortem primi mariti, Balduini tertij Flandrenſis Comitis, Regi Burgundiæ* CONRADO *peperit Regem Rodulfum, & ſororem eius* GVEPAM (aliàs Gerbergam) *quæ fuit mater huius* GISELAE. Wippo in Vitâ Conradi Salici: *Dilecta Regis coniux* GISELA, *cui pater erat* HERIMANNVS *Dux Allemaniæ: mater eius* KERBIRGA, *filia* CONRADI *Regis de Burgundiâ fuit: cuius parentes de* CAROLI MAGNI *ſtirpe proceſſerant.* Rectè dixit Albericus Mathildem Francicam nupſiſſe Conrado Burgundiæ Regi; ſed errauit, dum Balduino tertio Comite Flandriæ marito priùs orbam fecit. Mathildis enim Balduini Flandrenſis vidua, filia fuit Hermanni Ducis Saxoniæ, quæ deinde nupſit Godefrido Ardennenſi, ſeu Einhamenſi, vt diſertè traditur
C.7. & 8. in Chronico Flandriæ Sancti Giſleni, & in Supplemento Sigeberti
Anno 1005. ex MS. Orteliano. Illæ temporis eiuſdem Mathildes Hiſtoricos in permutationem facilè induxerunt. Nunc de Albradâ Mathildis
Lum. gen. 14. ſorore, per quam Reges Hiſpaniæ à Carolo Magno genus traxiſſe clarè oſtendi.

Progenies Gerbergæ Saxonicæ, filiæ Henrici I. ſororis Othonis I. Imperatorum, quæ matrimonio bis copulata fuit.

PRIMVS TORVS GERBERGÆ.

1. GERBERGA vxor Giſleberti Ducis Lotharingiæ.

2. HENRICVS, obijt puer.	2. GERBERGA ſponſa Bertholdi Ducis Bauariæ.

SIGEBERTVS anno CM.XXVII: *Henricus Rex, inſpectâ induſtriâ & potentiâ* GISLEBERTI, *filiam ſuam* GERBERGAM *ei deſpondet, & eum Lotharingiæ iterùm præficit.*

Albericus anno CM.XLIII: *Ducatum Ducis* GISLEBERTI *dedit*
Lib. 2. *Rex Otho cuidam fideli ſuo Othoni.* cauſam Witikindus adfert: *Regioni Lotharienſium præfecit Otho Rex Odonem* (ſeu Othonem) *Ricuini filium; & vt nutriret nepotem ſuum, filium* GISLEBERTI, *nomine* HENRICVM.

Sigebertus eodem anno, ſed ſeriùs: *Vxorem Giſleberti* GERBERGAM, *ſororem ſcilicet Othonis Imperatoris*, LVDOVICVS *Rex duxit vxorem: Filiam verò* GISLEBERTI, *neptem ſuam* (Reuſnerus & Butkens *Gerbergam* nominant) *Imperator* BERTALDO *Duci Bajoariorum deſpondet.*

L.4. c.18. Luitprandus Ticinenſis: *Hoc in tempore* BERTHOLDVS *Bajoariorum*

rum Dux, Arnulphi Ducis frater, vir ſtrenuus, Regis partibus toto fauebat conamine: volens itaque Rex, vt quemadmodum tribulationis prateritæ, ita & lætitiæ præſentis fieret particeps, ſequenti die, quanta erga eum Dominus beneficia egerit, nuntijs directis aperuit: cui etiam in augmentum lætitiæ, quoniam coniugali minimè connubio tenebatur, demandauit, ac iuramento promittere fecit, vt ſi ſororem ſuam, ſcilicet GISLEBERTI *vxorem, habere poſſet, eam illi coniugio copularet: quod ſi minus procederet, ipſius* GISLEBERTI *ex eâdem ſorore* GENITAM, *quam penes ſe habuerat,* FERE IAM NVBILEM, *maritali ei coniugio traderet. Quo audito* BERTHOLDVS *immenſo eſt gaudio affectus, elegitque nondum nubilem potiùs* FILIAM *expectare, quàm matrem quæ iam nupſerat tollere.*

TORVS ALTER GERBERGÆ.

1. GERBERGA Giſleberti Ducis vidua, Ludouici IV. Regis Franciæ vxor.

1.	2.	3.
2. LOTHARIVS Rex Franciæ natus anno 941.	MATHILDIS Regina Burgundiæ nata 943.	CAROLVS, aliàs Carlomannus, natus anno 945. mortuus puer.
4.	**5.**	**6.**
2. ALBRADA in lucem edita an. 947.	LVDOVICVS natus 948. ob. 954.	CAROLVS Dux Lotharingiæ inferioris, & Henricus, gemelli, nati anno 953.

3. ERMENTRVDIS vxor Othonis VVillelmi Burgundiæ Comitis; à quibus Hiſpaniæ Reges orti ſunt.

FLODOARDVS rerum ſui temporis ſedulus & accuratus Scriptor, anno CM. XXXIX: *Ludouicus Rex in Regnum Lotharienſe regreſſus, relictam Giſleberti* GERBERGAM *duxit vxorem, Othonis ſcilicet Regis ſororem.*

Anno CM. XLI: *Ludouico Regi* FILIVS *naſcitur*, ſcilicet Lotharius, qui ei ſucceſſit in Regno. Primus partus.

Anno CM. XLIII: *Hugo Dux* FILIAM *Regis* [Mathildem] *ex lauacro ſancto ſuſcepit.* II.

Anno CM. XLV: *Gerberga Regina filium Lauduni peperit, qui* KAROLVS *ad catechizandum vocatus eſt.* Obijt puer Rothomagi, datus Normannis obſes pro captiui parentis liberatione. III.

Anno CM. XLVIII: *Conradus Dux* FILIAM *Ludouici Regis* [Albradam] *ſacro de fonte ſuſcepit.* IV.

Ad finem eiuſdem anni: *Naſcitur Regi Ludouico* FILIVS, *quem* V.

Præſul Artoldus de ſacro fonte ſuſcepit, patris ei nomen imponens. Obijt anno CM. LIV.

VI. Anno CM. LIII: *Gerberga Regina Lauduni geminos eſt enixa; quorum vnus* KAROLVS, *alter vocatus eſt* HENRICVS: *ſed Henricus mox poſt baptiſmum defunctus eſt.*

Anno CM. LIV: *Ludouicus Rex morbo confectus diem clauſit extremum, ſepultuſque eſt apud ſanctum Remigium.*

In ſex allatis Gerbergæ Reginæ puerperijs duæ dumtaxat filiæ recenſentur, quæ nominatim exprimuntur in Supplemento Flodoardi ex Diuionenſi exemplari: MATHILDIS *&* ALBERADA *filiæ fuerunt Gerbergæ. De* MATHILDE *proceſſit Rodulphus Rex; de* ALBERADA *Ermentrudis.* Si Albrada fuiſſet Gerbergæ filia ex priori coniugio, ordine natiuitatis Mathildi præpoſita fuiſſet. Eodem modo Genealogia S. Arnulphi Metenſis: GIRBERCA, *ſoror Hadwidis, genuit Lotharium Regem Franciæ, & Karolum Ducem,* MATHILDEM, *&* ALBRADAM, *fratres & ſorores.* Deinde poſt nonnulla: ALBRADA *ſoror Lotharij Regis, Karoli Ducis, & Mathildis, genuit* ERMENDRVDAM: nullâ prorſus prolium Giſleberti Ducis factâ mentione.

L.2. c.35. l.4 c.14. Rectè igitur Andreas Cheſneus in Hiſtoriâ Burgundiæ, Albradam fecit Ludouici Regis filiam ex Gerbergâ: nec apertè ſententiam mutaui in Hiſtoriâ Couciacâ, vbi in hæc verba locutus eſt:
L.6. c.2. *Gertrudis* (Gerbergam dicere voluit) *ſoror Othonis Magni Imperatoris, & vxor in primo toro Giſleberti Lotharingiæ Ducis; tum in ſecundo Ludouici Tranſmarini Franciæ Regis; vnam inter alias filiam habuit nomine* ALBRADAM. Quod tamen addit Cheſneus, Albradam Ragenoldo Comiti, qui Rouciacum caſtrum ædificauerat, matrimonio iunctam fuiſſe; vt verum quidem fatear, non intelligo; cùm in Hiſtoriâ Remenſi per Flodoardum ſcriptâ, & in eius Chronico lega-
L.4. c.30. 35. & 36. tur, *Abbatiam S. Medardi* anno CM. XLIV. *à Ragenoldo deprædatam;* necnon & anno CM. XLVIII. (quo anno Dux Conradus Ludouici Regis filiam Albradam de ſacro fonte ſuſcepit) *munitionem ſuper Axonam fluuium, in loco, qui dicitur Rauciacus; ab eodem Ragenoldo Comite ædificatam fuiſſe.*

Vita Lud. Pij. Poſſem equidem plures alios Regum noſtrorum *à famoſiſſimo Regum* CAROLO femineos ortus in medium proferre; ſed ſufficit oſtendiſſe illorum præ alijs natalium prærogatiuam, ſiue vt ſtipiti Carolino proximiores ſunt, ſiue vt à Regibus, qui vltimi ſceptro Franciæ potiti ſunt, cum ætatis prærogatiuâ, ſincerè oriundi: vnicum dumtaxat, quod non leue momentum habet, hîc adijciam.

LAM-

LAMPAS VIII.

Ortus PHILIPPI IV. *Regis Catholici à* CAROLO MAGNO *Imperatore, medijs Comitibus Bononiæ Belgicæ ad fretum Morinorum.*

BONONIA, ſiue Bolonia, Galliæ Belgicæ ciuitas in Morinis ad fretum Oceani ſita, proprios olim Comites habuit, à quibus hunc in modum ortus eſt PHILIPPVS IV. Rex Catholicus.

1. CAROLVS MAGNVS Imperator: vxor Hildegardis.

2. LVDOVICVS PIVS Imperator:

ex Iudith vxore ſecundâ:	ex Ermengarde vxore primâ.
3. CAROLVS CALVVS Imperator: vxor Ermentrudis.	3. LOTHARIVS Imperator: vxor Ermengardis.
4. LVDOVICVS BALBVS Rex: vxor Adelheis.	4. LVDOVICVS II. Imper. Rex Italiæ & Prouinciæ: vxor Engelberga.
5. CAROLVS SIMPLEX Rex: vxor Odgiua.	5. ERMENGARDIS vxor Boſonis Prouinciæ Regis.
6. LVDOVICVS TRANSMARINVS Rex: vxor Gerberga.	6. CHVNEGVNDIS vxor N. Comitis Ardennenſis.
7. CAROLVS Dux Lotharingiæ inferioris: vxor Bona Ardennenſis.	7. GODEFRIDVS CAPTIVVS, Ardennenſis, Comes Virdunenſis: vxor Mathildis Saxonica.
8. GERBERGA Bruxellenſis Comitiſſa, vxor Lamberti Comitis Louanienſis.	8. GOTHILO MAGNVS Dux Lotharingiæ inferioris: vxor Iunca.
9. MATHILDIS, vxor Euſtachij primi Comitis Bononiæ.	9. GODEFRIDVS MAGNVS Dux Lothar. inferioris: vxor Doda.
10. EVSTACHIVS II. Comes Bononiæ: vxor Ida Lotharienſis.	10. IDA, vxor Euſtachij II. Comitis Bononiæ.

11. GODEFRIDVS BVLLIONIVS Rex Ieruſalem: ob. cœlebs anno 1100.	11. EVSTACHIVS III. Comes Bononiæ: vxor Maria filia Malcolmi R. Scotiæ.	11. BALDVINVS Rex Ieruſalem: obijt anno 1118.

12. MATHILDIS I. Comitiſſa Bononiæ, vxor Stephani Bleſenſis, Regis Angliæ.

13. MA-

13. MARIA Comitiſſa Bononiæ, vxor Matthæi, filij Theodorici Comitis Flandriæ.

14. MATHILDIS, vxor Henrici I. Ducis Lothar. & Braban. anno 1179.

15. HENRICVS II. Dux Lothar. & Brab. ob. 1247. vxor Maria Philippi Imp. filia.

16. HENRICVS III. Dux Lothar. & Brab. Comes Bononiæ: vxor Aleydis Burgunda.

17. IOANNES I. Dux Lothar. Brab. & Limburgi: vxor Margareta Flandrica.

18. IOANNES II. Dux Lothar. Brab. & Limburgi: vxor Margareta Anglica.

19. IOANNES III. Dux Lothar. Brab. & Limburgi: vxor Maria Ebroicenſis.

20. MARGARETA Antuerpiæ Domina, vxor Ludouici Malani Comit. Flandriæ.

21. MARGARETA Flandriæ Comes, vxor Philippi Audacis Ducis Burgundiæ.

22. IOANNES INTREPIDVS Dux Burgundiæ: vxor Margareta Bauara.

23. PHILIPPVS BONVS Dux Burgundiæ, Comes Bononiæ iure & poſſeſſione: vxor Iſabella Luſitana.

24. CAROLVS AVDAX Dux Burgundiæ, Comes Bononiæ iure & poſſeſſione: vxor Iſabella Borbonia.

25. MARIA Burgundiæ Duciſſa, vxor Maximiliani I. Imp. Bononiæ Comitatu iniquè ſpoliata à Lud. XI. Francorum Rege.

26. PHILIPPVS I. Archidux Auſtriæ Rex Hiſpaniæ: vxor Ioanna Regum Catholicorum filia.

27. CAROLVS V. Imp. Rex Hiſp. vxor Iſabella Luſitana.

28. PHILIPPVS II. Rex Hiſp. vxor Anna Auſtriaca.

29. PHILIPPVS III. Rex Hiſp. vxor Margareta Auſtriaca.

30. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus, iuſtus heres ſtirpis Bononienſis, & gloriæ Ieroſolymorum Regum.

Proba-

Probatur origo Comitum Bononiæ à CAROLO MAGNO *Imperatore.*

ORDERICVS Vitalis de Euſtachiô II. Conſule ſeu Comite Lib. 4.
Bolonienſi, Godefridi Bullionij patre: *Erat idem Comes magnæ* Ad an.
nobilitatis, *ex* PROSAPIA *ſcilicet* KAROLI MAGNI, *Francorum ſtre-* 1067.
nuiſſimi Regis: *erat quoque magnæ poteſtatis*, *vtpote ſublimis Princeps*
trium Comitatuum, *Bolonienſis*, *Guiſnenſis*, *& Taruanenſis*.

Idem de Godefrido Bullionio: *De conſtituendo ibi Regem* [Ieroſo- Lib. 9.
lymis] *conſiliati ſunt*; *& octauo die poſt captam vrbem*, *communi con-* p. 756.
ſilio GODEFRIDVM *Ducem in Regem elegerunt. Erat autem* VIR RE-
GII SANGVINIS,*à proauis Chriſtianæ profeſſionis*.

Idem de Balduino Bullionij fratre germano: *Erat enim idem miles* Lib. 9.
ſtaturâ procerus, *pulcher & magnanimus*, *ſcientiâ litterarum præditus*, Ad an.
multimodâque probitate & honeſtate præclarus, *eximiâ quoque nobilita-* 1098.
te, *vtpote* DE PROSAPIA KAROLI MAGNI *Imperatoris*.

Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus de electione Godefridi in Re- Lib. 4.
gem: GODEFRIDVM *Ducem eligamus*, *quem huic ciuitati ſubrogatum*
præficiamus: *eſt enim* (*vt omnes nouimus*) VIR REGII SANGVI-
NIS, *à proauis Chriſtianæ profeſſionis*.

Genealogia S. Arnulphi Metenſis: MATHILDIS, *filia* GERBER-
GAE, *genuit* EVSTACHIVM *Comitem Bononienſem. Euſtachius Comes*
genuit BALDVINVM *Regem Ieruſalem*, GOTFRIDVM *Ducem*, *& poſt*
Regem Ieruſalem, *ex* IDA. * Ad an.

Paternum à Carolo Magno Godefridi Bullionij ortum per Ma- 1099.
thildem, Gerbergæ Bruxellenſis Comitiſſæ filiam, ſic etiam indica- [a] Lib. 6.
uit * Albericus: *Dux* GODEFRIDVS *in Regem electus*, *filius fuit Comitis* [b] In Sacra
EVSTACII *Bononienſis*, *qui per maternum genus ad* MAGNI KAROLI mil. c. 38.
LINEAM *ſpectabat*. Gerbergam autem Ermengarde natu maiorem [c] Lib. 2.
fuiſſe clarè docet antiquus Scriptor Niuellenſis: HENRICO *apud* Rer. Burg.
Tornacum occiſo, *ſucceſſit in Principatu Brabantiæ frater eius* GODEFRI- & in Gen.
DVS *cum barbâ*, *princeps excellentiſſimus*, QVI PRIMOGENITA *obti-* Brab.
nens ſtirpis CAROLI MAGNI, *induſtriâ ſuâ meruit inſtitui in Ducatu* [d] Lib. 2.
Lotharingiæ. Godefridus Barbatus Gerbergæ Bruxellenſis Comitiſſæ Burg. c. 33.
pronepos erat. Vnde [a] Petrus Diuæus, [b] Ioannes Molanus, [c] Pon- & Montmor. p. 121.
tus Heuterus, [d] Andreas Cheſneus, [e] San-Marthani fratres, & [f] Can- [e] Lib. 4. cap. 9.
terellus Faber, Ermengardi Gerbergam meritò præpoſuêre. [f] Lib. 1. Conſid. p. 142. & 165.

De matre Godefridi Bullionij ſic loquitur Andreas Cheſneus: In præf.
IDE *de Lorraine ſa mere auoit eu pour grande ayeulle paternelle* CHVNE- Hiſtor.
Drocenſis.

GONDE, *fille de Madame* ERMENGARDE *de France*; *dont le pere eſtoit le Roy* LOVYS, *arriere filz de Charle Magne*.

An.1079. Itaque Guido Baſochius verè ſcripſit: *Fuit autem* GODEFRIDVS *Dux religioſus vir, & in omni vitâ ſuâ commendabilis & Deo placens; virtute verò & exercitio militari omnium iudicio ſingularis*; AB VTROQVE PARENTE *de antiquâ* KAROLI MAGNI LINEA *trahens originem, & cui verè plurimus inerat* KAROLVS *tam ſanguine quàm mente*.

Albericus ad annum M.C: *Hæc autem Regina Scotorum Malcolmo peperit tres filios Reges, Edgarum, Alexandrum, & Dauid patrem Henrici; & duas ſorores eorum, Mathildem prædictam Anglorum Reginam, &* MARIAM, *quam habuit* COMES BONONIAE, *frater Ducis Godefridi*, EVSTACHIVS.

In Genealogijs. Balduinus de Auennis: GERBERGA *verò filia* KAROLI, *fratris Lotharij, peperit* HENRICVM *ſeniorem de Bruxella. Et hic* HENRICVS *genuit Henricum, Lambertum, &* MATHILDEM, *quæ Comiti de Bolonia* EVSTACHIO *peperit* EVSTACHIVM *& Lambertum*. EVSTACHIVS *verò ex* IDA, *filia Godefridi Ducis Lotharingiæ, genuit* GODEFRIDVM *de Bullonio, poſteà Regem Ieruſalem; &* EVSTACHIVM, *qui de filia Regis Scotiæ* MARIA *genuit* MATHILDEM, *quæ* STEPHANO *filio Stephani Comitis Bleſenſis peperit* MARIAM. *Ex hac autem* MARIA, *poſtquam monialis facta eſt & Abbatiſſa, propter defectum heredum Bolonienſium, genuit* MATHAEVS, *frater Philippi Comitis Flandriæ, duas filias; & reuerſa eſt vxor ſua dicta* MARIA *ad ſuum Monaſterium*.

Idem Balduinus alio loco: *Hic igitur* GODEFRIDVS (Dux Lotharingiæ & Brabantiæ) *poſtquam Ducatum tenuerat* XLVII. *annis, mortuus eſt anno Domini* M.C.XC. *cui ſucceſſit filius eius* HENRICVS. *Albertus factus elericus, & poſteà Leodienſis Epiſcopus, occiſus eſt iuxta ciuitatem Remenſem*. HENRICVS *itaque Dux vxorem duxit* MATHILDEM, *filiam Comitis Bolonienſis* MATTHAEI, *Philippi Comitis Flandriæ germani; ex quâ genuit duos filios, & tres filias. Primogeniti nomen* HENRICVS, *alterius Godefridus. Filiarum primogenita* MARIA *Imperatori nupſit* OTTONI; *ſecunda nomine* AELIDIS *Comiti Aluerniæ* GVILLELMO; *tertia nomine* MATHILDIS *Comiti Hollandiæ Florentio, ſtrenuo militi pro tempore ſuo: qui iuuenis mortuus eſt in torneamento apud Bouos*.

LAMPAS IX.

Quæritur an EVSTACHIVS II. *Comes Bononiæ ex* IDA *vxore tres dumtaxat filios genuerit, an verò quatuor.*

Ternarius filiorum numerus probatur: Primò, ex Actis publicis.

PRIMA charta pro Eccleſiâ S.Petri Bullonienſis: *Ego* GODEFRIDVS, *legitimus ſucceſſor & heres Ducis* GODEFRIDI *Barbati, filijque eius potentiſſimi, & iuſtiſſimi Ducis* GODEFRIDI *auunculi mei,*&c. *hanc meam intentionem cùm retuliſſem matri meæ* IDAE, *prædicti Ducis filiæ, &* FRATRIBVS MEIS, BALDVINO *&* EVSTATHIO, &c. *Actum publicè Bulioni anno Dominicæ incarnationis* M. XCIV. *indict.* II. Miræus in Notitiâ cap.116. Anno 1094.

II. Pro Monaſterio Affligemienſi: *Ego* IDA, *Bolonienſis Comitiſſa, humilis Chriſti ancilla, notum fieri cupio,* &c. *Igitur in alodio meo & villâ, quæ vocatur Genapia, pro ſalute animæ meæ, patris quoque mei Ducis* GODEFRIDI, *& Comitis* EVSTATHII *Domini mei, Eccleſiam, cum decimis & vniuerſis eius reditibus, perpetuo iure tenendam dedi ſupradictis Fratribus, in idipſum* FILIIS MEIS, GODEFRIDO, EVSTATHIO, *&* BALDVINO, *mihi cooperantibus,* &c. *Factum eſt autem hoc anno* M. XCVI. *indict.* IV. *anno profectionis Chriſtianorum contra Paganos Ieruſalem.* Cap.119. Anno 1096.

III. Pro Monaſterio S.Bertini in Arteſiâ: *Ego* IDA, *Bolonienſium Dei gratiâ Comitiſſa, notifico tam futuris quàm præſentibus quibuſlibet, quòd ob ſalutem animæ meæ, nec non pro animâ Domini mei Comitis* EVSTATHII, *& pro incolumitate filiorum meorum,* EVSTATHII, GODEFRIDI, *&* BALDVINI *(qui contra Paganorum incurſus ex præcepto Apoſtolico Hieroſolymam profecti ſunt) omnes conſuetudines, & Comitatum, & quidquid ad me pertinebat de terrâ, quam Ondigiz & Berewoldus Deo & S.Bertino ad eleëmoſynam pauperum tradiderunt, dono Lamberto Abbati,*&c. *Actum in Villâ Merck anno Domin. incarn.* M. XCVIII. *indictione primâ.* In Cod. donat. c.70. Anno 1098.

IV. Pro Bertinianis iterùm: *Ego* EVSTATHIVS, *Dei gratiâ Bononienſis Comes, notum facio tam futuris quàm præſentibus quibuſlibet, ad ſalutem animæ meæ, nec non per omnia patris mei Comitis* EVSTATHII, *matriſque meæ* IDAE *Comitiſſæ, & fratrum meorum* GODEFRIDI *Hieroſolymitani Regis, atque* BALDVINI, *qui ei in Regno ſucceſſit, terram* Cap.75.

 quam

quam beatus Bertinus infra miniſterium de Merck pertinet, &c. *Huius autem libertatis conceſſio facta eſt à me* EVSTATHIO *apud Capellam, poſt* Anno 1122. *reditum meum ab Hieroſolymis anno* XX. *Dominicæ autem incarnationis* M. C. XXII. *indict.* XV.

Totis illis viginti octo annis, ab anno nempe M. XCIV. ad M. C. XXII. trium dumtaxat Euſtathij & Idæ filiorum mentio fit in antiquis inſtrumentis, quibus derogari fidem nemo cordatus velit.

Probatur II. ex tribus Vitis ſanctæ Idæ, Bononienſis Comitiſſæ, XIII. *Aprilis.*

Ex Hagiologio Rubeæ vallis p. 1. EX prioris capite primo: *Fuit quædam virgo nobiliſſimâ exorta proſapiâ, inſignis adoleſcentula nomine* IDA, *cuius pater, nomine* GODEFRIDVS, *primus apud Imperatorem extitit, & Comes Ardennenſis claruit: mater verò eius non minùs nobilis* DODA *vocabatur. Eo autem tempore inclytus Comes Boloniæ nomine* EVSTATHIVS, *filius* EVSTATHII *&* MATHILDIS *Bruxellenſis Comitiſſæ; cuius ſecundi* EVSTATHII *vxor ſancta* IDA *effecta eſt.* TRES *ex eâ* FILIOS *genuit, videlicet* GODEFRIDVM, BALDVINVM, *&* EVSTATHIVM. *Horum* GODEFRIDVS *poſt mortem auunculi ſui* GODEFRIDI GIBBOSI *maiorem partem Brabantiæ poſſedit, & poſtmodum electus eſt Rex & Princeps in Hieruſalem, poſtquam terra ſancta recuperata fuit à Chriſtianis; ac poſt eum frater eius* BALDVINVS: *qui multis claruerunt victorijs contra perfidam gentem Saracenorum.*

Ex MS. Vltraiectino S. Saluatoris. Ex alterius Vitæ breuioris capite item primo: *Eo autem tempore Comes Boloniæ nomine* EVSTACHIVS, *cuius vxor* IDA *effecta eſt; ex eâ* TRES FILIOS *genuit*, EVSTACHIVM, GODEFRIDVM, *atque* BALDVINVM.

Ex MS. Soc. Ieſu Brugis. Ex tertiæ prolixioris lectione primâ: *Recepta namque vt decuit honorificè* [S. Ida] *copulata eſt Comiti Boloniæ, ſcilicet* EVSTACIO, *pro more Eccleſiæ Catholicæ. Celebratis igitur nuptijs ſolemniter, venerabilis* IDA, *quæ Dei erant curioſa, ſub* CONSVLARI *dignitate, amabat fideliter; quæ mundi autem videbantur, non inquirebat pertinaciter: ſeruato nempe caſtè coniugio coram Dei clementiâ,* TRES FILIOS *genuit. Primus fuit* EVSTACIVS, *vir potens, & in omnibus actibus ſæculi ac religione laicali egregius: iſte verò patris imitans nobilitatem, & , vt notum eſt, tenuit hereditatem viriliter. Secundus quippe fuit* GODEFRIDVS, *aui ſui vocabulo & poſſeſſione Dux vocitatus; qui, Deo propitiante Turcis triumphatis, ſub nouâ gratiâ Rex primus fuit in Hieruſalem prædeſtinatus. Huic autem natu poſterior, ſed non minùs in actu potentiâque potentior, fuit tertius*

tius bonæ memoriæ BALDVINVS, *Acconenſis ciuitatis eidemque ſubiacentium Proconſul & Dominus; ac demum, poſt obitum fratris ſui* GODEFRIDI, *vt Regis vices expleret, honore regio ditatus: quo regnante omnis Hieroſolyma in curſu malo deſcendit ad ima. Factum eſt autem, cùm tantorum venerabilis* IDA *mater eſſet filiorum, adhuc illis in cunabulis iacentibus, non ſinebat alienis, ſed proprijs lac dare vberibus, timens vt prauis contaminarentur moribus.*

Probatur III. ex antiquis Genealogijs.

Ex Genealogiâ ante annum M. C. ſcriptâ, quæ legitur ad calcem Chronici Hugonis Floriacenſis, quod Petrus Monachus deſcripſit anno M. CC. XXVII. & S. Quintino de Monte in Veromanduis obtulit: GERBERGA, *ſoror Ermengardis, genuit Henricum ſeniorem de Bruſſella, Comitem Lambertum, &* MATHILDEM. *Hanc Mathildem duxit vxorem Comes* EVSTACHIVS DE BOLONIA, *& genuit ex eâ duos filios, Euſtachium & Lambertum.* EVSTACHIVS *accepit filiam Godefridi Ducis* IDAM *nomine, genere nobilem & moribus; & genuit ex eâ* TRES FILIOS, EVSTACHIVM, GODEFRIDVM *Ducem* * NVNC *Lotharingiæ, &* BALDVINVM. Seruatur Brugis in biblioth. Soc. Ieſu.

Ex Genealogiâ S. Arnulphi Metenſis: *Mathildis, filia Gerbergæ, genuit Euſtachium Comitem Bolonienſem, & Gerbergam Friderici Ducis vxorem. Euſtachius Comes genuit Balduinum Regem Hieruſalem, Godefridum Ducem, & poſt Regem Hieruſalem, ex* IDA. * Nota ætatem Auctoris.

Ex aliâ Genealogiâ Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ, quæ deſinit in Ioanne III. Duce: EVSTACIVS *Comes Bolonienſis genuit ex ſanctâ* IDA EVSTACIVM *Comitem Bolonienſem, &* GODEFRIDVM *Ducem Lotharingiæ, &* BALDVINVM. Ex Codice Niuellenſi.

Probatur IV. ex æqualibus finitimis, alijſque probæ fidei Scriptoribus.

GVIBERTVS Abbas Nouigenti, in Laudunenſi pago, à Bononienſi haud multùm diſtante, qui ſcripſit regnante Balduino Godefridi Bullonij fratre: *Dux* GODEFRIDVS, *Euſtachij Bolonienſis Comitis filius, duos habuit fratres,* BALDVINVM, *qui Edeſſenæ vrbi præfuit, & poſt ipſum fratrem Rex effectus Ieroſolymæ* * NVNC *vſque regnat; &* EVSTACHIVM, *qui paterno Comitatui* * PRAEEST. *Hi patrem habuerunt potentem, & ſecularis ingenij virum; ſed & matrem litteris quidem, niſi fallor, eruditam; ſed potiſſimùm ingenitâ ſerenitate, &* L. 2. c. 12. * Nota ætatem.

 magnâ

magnâ erga Deum animi deuotione præſtantem, cuius diutinæ religioni debebantur tam ſpectabilium, vt credimus, gaudia filiorum.

Ordericus Vitalis, natione quidem Anglus, ſed Vticenſis in Franciâ Monaſterij alumnus, qui Hiſtoriam ſuam ad annum vſque M. C. XLI. perduxit, ſic de Euſtachio II. Conſule ſeu Comite Bolo-
Lib.4. ad an.1067. nienſi: *Generoſam & religioſam nomine* ITAM *habuit vxorem, Godefridi Lotharingiæ Ducis ſororem, quæ peperit ei* TRES FILIOS, GODEFRIDVM, BALDVINVM, *&* EVSTACHIVM; *&* FILIAM, *quæ nupſit Quarto Henrico Imperatori Allemanorum.*

Lib.9. Idem alio loco: EVSTACHIVS *enim Bolonienſis Comes, qui cum Guillelmo Senlacium in Angliâ bellum peregit,* ITAM *ſororem* GODEFREDI *Lotharingiæ Ducis vxorem duxit, ex quâ* GODEFREDVM, *&* BALDVINVM, *&* EVSTACHIVM *genuit: quos gratiâ Dei diuitijs & virtutibus in hoc ſæculo multipliciter honorauit; præcipueque in expeditione Hieroſolymitanâ probauit, corroborauit, atque ſublimauit.*

Lambertus Ardenſis, Bononiæ finitimus, qui ſuam Hiſtoriam ab-
Cap.18. ſoluit anno M. C. LXXXI. hoc de S. IDA reliquit elogium: *Lothariæ Ducis Godefridi quondam filia, Bolonienſis Comitis* EVSTACHII *quandoque vidua,* GODEFRIDI *&* BALDVINI *Regum Hieroſolymorum, &* EVSTACHII *nobiliſſimi Comitis mater.* Alio item loco de Arnoldo
Cap.108. Ardenſi Domino ſic loquitur: *Torneamenta diligendo, & ardentiſſimè frequentando, multis in regionibus notus, Bolonienſi Comiti* EVSTATHIO, *nobiliſſimæ prolis,* EVSTACII *videlicet,* GODEFRIDI, *&* BALDVINI *auctori & patri, notiſſimus fuit & familiariſſimus.*

Hiſtoria vetus MS. Cœnobij Bronienſis in Comitatu Namur-
Cap.3. cenſi: *De cuius germine* [militis Heliæ] *Lotharingorum Duces egreſſi,* GODEFRIDVM *Bullionis Ducem, &* BALDVINVM *Regem, &* EVSTACHIVM *Comitem, felices & ſtrenuos in armis fratres, & Saracenorum expugnatores effuderunt; quorum geſta Robertus Abbas Remenſis ſtylo Tulliano deſcribens, rutilo ſermone concluſit. Horum igitur* SORORIS *filius* MANASSES *extitit, caſtrum & oppidum quoddam* HIRGIAM *nomine, villas & reditus ſatis tenues, quantum ad tantæ claritatis virum, poſſidens..*

In Chron. Albericus ad annum M. LXXVI: GODEFRIDVS *iuuenis, frater* BALDVINI *&* EVSTACII, *per matrem* IDAM *factus eſt heres Bullonij.*

Idem Albericus ad annum M. XCVI: IDA *Bononienſium Comitiſſa tradidit Affligemio Eccleſiam, quæ eſt in villa Genapia, cum decimis & vniuerſis eius reditibus, conſentientibus filijs ſuis,* GODEFRIDO *Duce Bullonij, &* EVSTACHIO, *&* BALDVINO. *Idem* GODEFRIDVS *Dux filius eius in eâdem villâ quinque manſos Affligemienſi Monaſterio*

tradidit,

tradidit, ad quos ipſa poſteà quaſdam partes circumiacentes, plenè vnum manſum continentes, in augmentum conceſſit.

Magnum Chronicum Belgicum de Godefrido Barbato Duce: *Genuit* GODEFRIDVM *Gibboſum Ducem, & ſanctam* YDAM, *matrem* GODEFRIDI, EVSTACHII, *&* BALDVINI, *fratrum Bolonienſium.*

Gerbrandus Leydenſis de Godefrido Gibboſo Duce: *Habebat ſororem* S. YDAM *nomine, quæ erat matrimonio iuncta* EVSTACHIO *Comiti Bolonienſi; cui genuit* TRES FILIOS, *ſcilicet* GODEFRIDVM *de Bullion,* BALDVINVM, *&* EVSTACHIVM. Hac antiquorum canâ fide, meo iudicio, teſtatiora adferri non poſſunt. L. 14. c. 4.

Pro numero filiorum quaternario teſtimonia.

WILLELMVS Tyri in Syriâ Archiepiſcopus, qui anno M. C. LXXIV. res in Oriente annis octoginta quatuor geſtas deſcripſit, de Godefrido Bullionio loquitur in hunc modum: *Fuerant porrò huic* TRES *ex vtroque parente* FRATRES; *quibus & morum dignitas, & virtutum præſtantia, tanti Principis dabat eſſe germanos: Dominus videlicet* BALDVINVS *Comes Edeſſanus, qui eidem poſteà ſucceſſit in Regno: Dominus quoque* EVSTACHIVS *Comes Bolonienſis, qui in bonis ſuccedens paternis, poſt patrem obtinuit Comitatum. Tertius fuit Dominus* WILELMVS, *vir inclytus, à paternâ & fratrum ſimul honeſtate & ſtrenuitate non degener. Duo primi Dominum & fratrem ſuum in expeditione ſecuti ſunt, tertio domi remanente.* L. 9. c. 5.

Hiſtoria Willelmi Tyrij annis abhinc benè trecentis Gallicè verſa, & in pergameno deſcripta, cuius duo exemplaria ſeruantur Bruxellæ in Bibliothecâ regiâ, ſic de Godefrido Bullionio: *Il ot* III. *freres, qui eſtoyent moult ſages & bons cheualiers. Li vns fu* BAVDOIN, *qui fu Cuens de * Roars, qui fu Roys apres luy. Li ſegons fu* ESTACES, *qui portoit le nom ſon pere, & fu Cuens de Boloigne. Li tiers fu* GVILLAVME, *vaillant, prous, & loiaus: ne ne ſe deſcordoit mie de la bonté à ſes freres.* BAVDOIN *&* ESTACES *ſiuirent lor Seignor & lor frere el pelerinage d'outremer. Li tiers fu* GVILLAVME, *qui demort en ſon pay, pour garder ſa terre.* * al. Rohes,

Latina Tyrij exſcripſit S. Antoninus Florentinus, qui obijt anno M. CD. LIX. ſic vt eius teſtimonium idem cum Tyriano cenſeri debeat. Itaque iam percontor, cui porior adhibenda fides, an Tyrio ſoli, homini Aſiatico, ac de rebus Occidentis parum inſtructo; an tot alijs inſignibus ex eâdem cum illis Principibus regione viris; nec non & paribus ætate teſtimonijs, actiſque publicis: quorum fidei

adiungas velim, nec Bononiæ, nec vllibi terrarum, vlla illius Guillelmi Bononienſis germana ſupereſſe monumenta. Hîc elicere malui aliorum ſententias, quàm meam pronuntiare. Statuant illi, quos in ſummo doctrinæ gradu Minerua collocauit.

LAMPAS X.

Ius PHILIPPI IV. *Regis Catholici ad Comitatum Bononienſem.*

Meyerus ad an. 1307. Cheſne de Vrb. Franciæ c. 11. Meyerus an. 1075. Chronicum Bertinianum. Cheſne Guiſnes l. 2. c. 6.

BONONIA Belgicæ ſecundæ ciuitas *pertinebat olim ad Comitatum Flandricum; ſed per calliditatem Gallorum aliaſque partitiones hereditarias auulſa fuit.* Euſtachius II. Bononiæ Comes, Godefridi Bullionij pater, BONONIAM *tenuit in fide & clientelâ Comitum Flandriæ.* Rainaldus Comes de Domno-Martino, IDAE Bononienſis Comitiſſæ ſponſus, pro Bononienſi Comitatu fecit hominium Balduino IV. Comiti Flandriæ.

Oliu. Vredius in Sigillis Com. Fland.

Sed auulſa poſtmodum fuit à Flandriæ Comitatus corpore Bononia: quod quando & quâ ratione factum paucis aperiam. Philippus Alſatius Flandriæ Comes anno M. C. LXXX. ISABELLAE nepti ſuæ nubenti PHILIPPO Auguſto Francorum Regi ARTESIAM *dedit cum ſupremo iure clientelæ, quo* BONONIENSIS, *S. Pauli, & Guiſnarum Comites, Comitibus Flandriæ adſtringebantur:* à quibus nuptijs Arteſiæ Principatus petenda eſt origo. Primus itaque Arteſiæ à Flandriâ ſeparatæ Dominus fuit Philippus Auguſtus Francorum Rex per Iſabellam, Balduini Hannoniæ Comitis & Margaretæ Flandricæ filiam, cui matrimonio iunctus fuit.

Iſabellâ poſtmodum defunctâ, filius eius ex Philippo Auguſto Ludouicus VIII. Rex, ſecundus Arteſiæ Dominus agnitus eſt: qui deinde moriens anno M. CC. XXVI. ROBERTO filio ſuo tertio genito adhuc impubi Arteſiam teſtamento reliquit; quod anno M. CC. XXXVII. S. Ludouicus IX. Rex Roberto fratri ſuo confirmauit, & de nouo conceſſit diplomate, quod Miræus edidit; eiuſque ſummam ſic refert Albericus: *Apud Compendium in octauis Pentecoſtes, in præſentiâ Regis, & omni frequentiâ nobilium Franciæ, frater eiuſdem Regis* ROBERTVS *cingulo militiæ de nouo accinctus, nuptias ſuas celebrauit cum* MATHILDE *filiâ Ducis Brabantiæ; & Rex dedit ei* COMITATVM ATREBATENSEM, *& Sanctum Odomarum, & Ariam, & cetera de matre Domini Ludouici patris eius ſibi contingentia.* Inde porrò

Donat. piar. cap. 104. Ad an. 1237.

ROBER-

ROBERTVS ille ab Hiſtoricis *primus Arteſiæ Comes* nuncupatur, qui ex Mathilde, filiâ Henrici II. Brabantiæ Ducis, filium reliquit ROBERTVM II. Arteſiæ Comitem, à quo deinde alij Comites prodiêre.

Ab illâ igitur ætate Comites Atrebatenſes pro clientibus habuerunt Comites BONONIENSES, ſancti Pauli, & Guiſnenſes. Nihilominùs Ioannes Biturigum Dux, copulatâ ſibi Ioannâ Bononiæ Comitiſsâ, LVDOVICO MALANO, Flandriæ & Arteſiæ Comiti, hominium pro Bononienſi Comitatu præſtare recuſauit. *Incidit contentio,* Lib.13. inquit Meyerus, *inter* LVDOVICVM *&* IOANNEM *Biturigem de Co-* an.1383. *mitatu* BONONIÆ, *quem iure vxorio tenebat Biturix. Atrebates &* BONONIA *ad corpus Flandricum olim pertinebant. Poſſederunt longo tempore Comites Bononiæ ſuam ditionem in fide & clientelâ Comitum Atrebatum. Nunc autem natalium ſuorum ſplendore ſuperbiens Biturix, ſoli volebat fidem præſtare Regi: Ludouicus autem Comes Atrebas id ſibi iure fieri debere contendebat. Eò diſcordiæ controuerſia proceſſit, vt pugionem ſuum Biturix Ludouico in pectus proijceret: accidit in die feſto Epiphaniæ Domini: eoque ex vulnere, tertio poſt die, Ludouicus obijt.* Conſentit plenæ auctoritatis Chronicum vetus Flandriæ MS. quod ſeruatur Bruxellæ in Bibliothecâ regiâ: *Le Comte* LOYS *mourut à Saint Bertin l'Abbaye; car le Duc de Berry luy ietta ſa dague en ſon cœur, pource que il ne le vouloit laiſſer poſſeſſer le Comté de* BOVLOVGNE, *dont il auoit eſpousé la Dame; & le Comte vouloit qu'il luy en faiſiſt hommage comme appartenoit; & cela ne vouloit point faire.* Scelus atrox, cuius causâ Comitatus Bononiæ ad directos feudi Dominos Arteſiæ Comites, Ludouici iniquiſſimâ cæde perempti ſucceſſores, redire pleno iure debuit. *Si enim vaſallus morti Domini veneno, vel gladio, vel aliter* Lib. 2. *inſidiatus fuerit, beneficium amittit.* Sed addit paulò infrà Meyerus: Feud.tit. *Tecta & diſſimulata videtur cædes à Biturige facta: quis enim vindi-* 24. *caſſet? Burgundio* [PHILIPPVS AVDAX] *Biturigis frater lætus in tantas ſucceſſit opes.*

Primus itaque ex Ludouici Malani ſucceſſoribus, qui iure ſuo in Bononiam vſus eſt, nec Turrianos pro Bononiæ Comitibus agnouit, fuit PHILIPPVS BONVS Burgundiæ Dux; quippe qui Comitatum illum pacificè poſſidebat anno M. CD. XXXV. tam ex iure ob Biturigis noxam, qui ius clientelare violauerat, Maioribus ſuis quæſito, quàm alio antiquiori à Brabantiæ Ducibus deriuato; quod hîc explicare placet præmiſſis gradibus genealogicis, qui lucem dabunt meæ ratiocinationi.

Stemma Comitum Boboniæ ex Brabantinâ ſtirpe.

13. Maria Comitiſſa Boboniæ, vxor Matthæi, filij Theodorici Comitis Flandriæ.

14. Ida Comitiſſa Boboniæ, vxor Rainaldi Comitis de Domno-Martino.	14. Mathildis, vxor Henrici Ducis Brabantiæ.

15. Mathildis II. Comitiſſa Boboniæ, nupta Philippo Comiti Clarimontis, ac deinde Alphonſo Luſitano; ſed cum iſto ſine liberis: ob. 1258.	15. Henricvs III. Dux Brabantiæ: obijt 1247. vxor Maria, Philippi Imp. filia.	15. Maria Comes Boboniæ, vxor Othonis IV. Imper. ob. anno 1259. ſine liberis.	15. Aleydis, vxor Guillelmi Com. Aluerniæ, deinde Arnoldi de Weſemael.
16. Ioanna Philippi & Mathildis filia, vxor Galcheri de Caſtellione: ob. ante matrem ſine liberis.	16. Henricvs III. Dux Brabantiæ, Comes Boboniæ: obijt 1260. vxor Aleydis Burgunda: à quibus alij Brabantiæ Burgundiæque Duces, & Hiſpaniæ Reges.	16. Mathildis, vxor Roberti I. Arteſiæ Comitis, mater ſecundi; nupta deinde Guidoni Comiti S. Pauli.	16. Robertvs I. Comes Boboniæ & Aluerniæ, à quo alij, qui ad Comitatũ Boboniæ ius obtenderunt, Aluerni & Turriani.

Mathilde II. Bononienſi Comitiſsâ ſine liberis diem ſuum obeunte, Boboniæ Comitatus iure ordinario deuoluebatur ad Henricum III. Ducem Brabantiæ, Henrici II. Mathildis defunctæ conſobrini, filium: quo nihilominùs poſthabito, Pares Curiæ Atrebatenſis Boboniæ poſſeſſionem adiudicarunt Mathildi Brabantæ, ſorori Henrici II. Ducis, tunc S. Pauli Comitiſſæ, collatâ ipſi gratiâ illâ; propterea quòd Roberti II. Comitis Arteſiæ ex priori marito mater erat. Illâ tamen Senatus Pariſienſis decreto poſtmodum exclusâ, adſcripta fuit Bobonia Mariæ Brabantæ, Othonis IV. Imp. vxori; *quia*, vt aiebant, *Atrebatenſis conſuetudo locum non dabat repræſentationi.*

Miræus in Chron. pag. 264. Cheſne Chaſtillon, l. 3. c. 3. & 8.

Hæc autem Maria Imperatrix prole carens totum in Bononiam ius ſuum tranſtulit in Henricum III. Brabantiæ Ducem, ſuum ex fratre nepotem. Ceſſionis inſtrumentum edidit Chriſtophorus Butkens ex Archiuis Brabantiæ; & in hanc quidem formam:

In Trophæis Brabantiæ, Probat. p. 75.

Maria *Dei gratiâ quondam Imperatrix Romanorum, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in omnium Saluatore. Vniuerſitatem veſtram ſcire volumus, quòd Nos Illuſtri Principi, kariſſimo fratrueli noſtro,*

noſtro, HENRICO *Duci Lotharingiæ & Brabantiæ, quidquid iuris habebamus, vel habere poteramus in Comitatu & terrâ* BOLONIAE, *cum omnibus pertinentijs ſuis, per ſucceſſionem hereditariam, ex morte Dominæ* MATHILDIS, *olim Comitiſſæ dicti loci, filiæ materteræ noſtræ, liberè & abſolutè contulimus, nihil iuris nobis in ijſdem bonis reſeruando, vel in poſterum reclamando. Promittimus inſuper, quod ad Curias & Dominos, de quibus dicta bona deſcendere dignoſcuntur, quotiens à præfato Domino* DVCE *fuerimus requiſitæ, inſtabimus, laborabimus, & intendemus bonâ fide, ſicut pro nobiſmetipſis, quod prælibatus Dominus* DVX *in hac parte ius ſuum plenariè aſſequatur, & prædicta bona totaliter poſſideat, tamquam* HEREDITATEM SVAM, *pacificè & quietè. In cuius collationis & promiſſionis teſtimonium & firmitudinem, ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum, adhibitis his teſtibus, Arnoldo Domino de Weſemale, Domino Gerardo de Marbais, Domino Roberto de Hoeſden, Domino Henrico de Hautem, Domino Henrico & Domino Ioanne de Filfordiâ, & alijs. Datum & actum apud Atrebatum menſe Februario, Feriâ quintâ poſt octauas Purificationis B. Virginis, anno Domini* M. CC. LVIII. An. 1258.

Mortuâ deinde Mariâ Imperatrice, ſoror eius Aleydis, vidua Willelmi Comitis Aruerniæ, vxor tunc Arnoldi Weſemali, ius etiam omne, quod in Bononiam habere poterat, tranſtulit in iam dictum Henricum III. Brabantiæ Ducem, ſuum pariter nepotem. Hæ ſunt ceſſionis litteræ, quas laudatus Butkens euulgauit. Probationum pag. 98.

ERNOVL *Cheualier, Sire de Weſemale, &* ALIZ, *que fu Conteſſe d'Auuergne, ſa femme, à touz cheux qui ces lettres verront & orront ſalut. Nous faiſons à ſauoir à touz cheux qui ſont, & qui à venir ſont, ke pour l'eſpecial amour que nous auons à noſtre chier Signeur* LE DVC *de Lorreigne & de Brabant, & pour le grant biens que nous a faet, & pour les dons que nous a donnes, & mement pour la grant miſe qu'il a faet apré le Contey de* BOLOIGNE, *pour noſtre droet aporchacer, auons regardé à leauté, que* NOVS LI DONNONS LA CONTEY DE BOLOIGNE, *& les appartenances,* A LVY ET A SES OERS, *tout le droet que nous y auons, & que auoir pouons, & que eſchou eſt ſur* NOE ALIZ *deuant ditte de part ma chier ſeur* MARIE, *que fu Emperis jadis, que eſchoet li eſtoit de par noſtre couſine germaine la Conteſſe* MAHAVT DE BOLOIGNE: *& li donnons* TOVT ENTIEREMENT *en fruitz & en profiz, & en quant que eſchoer peut ſur la Conté, & quant que nous li poons donner* A LVY, *& à vn de* SES OERS, *quel que voudra, en fief & en hommage heritablement à tous iours, la quinte partie de cele Conté, ou la quarte, ou la terche, ou pour meins de la moitie, ou plus, ſe*

nous faire le poons, tout enſi que il nous requerra, & toutes les foes qu'il nous en requerra, à tenir de nous, ou del Signeur dont la terre meut, lequeil que luy plaira, & deuons aleir pour requerre cele Conté, par tout là où il nous voudra meneir à ſon couſt, & deuons faire & dire quant que bon lui ſemblera par lui ou par ſon Conſeil, & enchartreir toutes les foes que il voudra, ſoit en la Court le Roy de Franche, ſoit en la Court d'Artois, ſoit en la Court de Teroeane, ou en autres lieus, ſe beſoigne eſtoit; ne ne deuons faire, ne dire, ne enchartreir, ne auoer fait choſe, ne enchartreir que greueir puiſt ne doie à noſtre Signeur le Duc deuandit, ne à ſes oers, des conuenanches que deuant ſont dites. Et pour che que ces conuenanches ſoient fermement tenus à noſtre Signeur le Duc, nous obligons enueirs luy de ceu que deuant eſt dit, ſour peine de deus cens mil liures de Pariſis, que il & ſes oers nous porront demandeir, ſi nous venons encontre les choſes que deuant ſont dites, & obligons nous & nos biens quant que nous auons & auoer poons, & quel heet nous & eſchoer nous puet, & en queil lieu que ce ſoit. Et ce don & ces conuenanches auons nous iuré ſeur ſeint, & fianché corporeaument, à tenir bien & leaument; & à ce tenir fermement, renonchons à exception de priuilege de crois & de Cheualerie, & à tous priuileges donnés & à donner, & à tous autres exceptions & aides de droet & de fact que nous pourrent auoir eu, ſoit deuant iuges de Seinte Egliſe, ſoit deuant iuges ſeculeirs, & que pourent greueir à noſtre Signeur le Duc deuant dict & à ces oers. Et pour ce que chi don & ces conuenances ſoient fermes & eſtables, nous auons ceſte charte preſente ſaelée de nos
An. 1260. *ſeals. Che fu faet l'an del Incarnation Jeſu Chriſt* M. C C. L X. *le Lundy enpres la feſte Seint Barnabé.*

Tabulas eaſdem edidit quoque Chriſtophorus Iuſtellus in Hiſtoriâ Comitum Aluerniæ; ſed adiecit præterea hancce chartam:
Probat. p. 52. 53. 55. *Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis* ROBERTVS COMES ALVERNIAE *ſalutem. Noueritis quòd nos conuentiones factas inter* DOMINVM NOSTRVM HENRICVM *Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ ex parte vnâ, & Nos ex alterâ,* DE COMITATV BOLONIAE, *cum ſuis pertinentijs, de quadraginta millibus libris Paris. ſoluendis à nobis dicto Domino noſtro Duci ſtatutis terminis, ſicut in litteris ſuper hoc confectis pleniùs continetur; promittimus, iuramento præſtito corporali ſine fraude & dolo, firmiter obſeruare. Et ſi contigerit Arnoldum de Weſemale decedere antequam cum Dominâ* ALEYDE *Comitiſſâ Aruerniæ, vxore ſuâ, Comitatus & terræ* BOLONIAE *habeat inueſtituram; Nos ſub dicto iuramento laborabimus eum omni diligentiâ, vt ipſa Domina* MATER NOSTRA *ipſam habeat inueſtituram, & nos poſtmodum per eamdem: & iam ex tunc, poſtquam inueſtiti fuerimus, præfatus Dominus* DVX *noſter de dictis quadraginta*

ginta millibus lib. Pariſ. habebit pagamentum à nobis, ſicut in litteris dictarum conuentionum pleniùs continetur. In cuius obligationis & rei teſtimonium, ſigillum noſtrum proprium præſentibus duximus apponendum. Datum apud Falebeke die Martis poſt Purificationem Beatæ Virginis, anno Domini M. CC. LX. An. 1260.

Henricus III. Dux Brabantiæ è viuis exceſſit illo eodem anno M. CC. LX. vt videre eſt in eius Epitaphio Louanij in templo S. Dominici: adeóque illi perſoluta non eſt ea ſumma pro tantâ ditione perexigua; pro quâ Ioannes I. Dux Brabantiæ, filius eius, anno M. CC. LXXV. litem adhuc habebat cum Roberto Comite Aruerniæ: qui Robertus obijt anno ſequenti M. CC. LXXVI. Illam autem ſummam à nemine perſolutam argumento eſt, quòd Philippus Bonus Burgundiæ Dux, & Atrebatum Comes, auiti iuris conſcius, Boloniæ adiuerit poſſeſſionem. Cuius aditionis aliam præterea cauſam adfert Ioannes Dauffayus, Betunienſis Arteſius, in libro MS. de Verâ & legitimâ ſucceſſione Mariæ Burgundiæ aduerſus Ludouicum XI. Franciæ Regem: *Quia*, inquit, *Comitatus* BONONIAE *reuerſus erat ad eius manus ob defectum clientelaris profeſſionis, aliarumque debitionum haud præſtitarum, poſt iuſtas & legitimas interpellationes.* Eius autem Philippi Boni iuris & poſſeſſionis extat hæc mentio in pacto Atrebatenſi, anni M. CD. XXXV: *Item quia dictus Dominus Dux Burgundiæ ius ſibi vindicat in Comitatum* BONONIAE IVXTA MARE, *quem nunc tenet ac poſſidet; & pro bono pacis, dictus Comitatus erit & manebit dicto Domino Duci Burgundiæ, & eo fruetur in omnibus prouentibus & emolumentis, pro ſe, &* LIBERIS *ſuis* MASCVLIS *de ſuo corpore procreatis ſolummodò. Et poſtmodum erit & redibit ille Comitatus ad eos, qui ius ad illum habent, aut habebunt. Et debebit Rex componere cum dictis prætendentibus, & illis ſatiſfacere; ita vt ipſi interea nihil de eo petant, aut controuerſiam moueant, nec lite perſequantur dictum Dominum Burgundiæ Ducem, vel maſculas eius proles.*

Iuſtellus Probat. p. 58.

Artic. 25.

Ille qui tunc obtendere ius dicebatur ad Comitatum Bononienſem erat Bertrandus de Turre, filius Mariæ Comitiſſæ Aluerniæ, quæ iactabat ſe ſucceſſiſſe iuri Ioannæ Bituricenſis Duciſſæ; quod tamen, ſi quod fuerat, amiſſum palàm eſt, tum ob capitalem noxam mariti ſui Ioannis Biturigum Ducis, tum ob defectum præſtiti Comiti Arteſiæ hominij.

Ceterùm mirari ſubit Carolum VII. Regem, ſtirpe Valeſiâ, qui ad Comitatum Boloniæ nullum ius habebat, illum Atrebatenſi pacto ſolis maſculis Philippi Boni Burgundiæ Ducis addicere voluiſſe, qui toties ad feminas deuolutus fuerat: illam idcircò iniquam con-

 ditionem

ditionem emendauit poſteà Ludouicus XI. Rex fœdere Confluentino,quod cum Carolo,Gadrılegij Comite,Philippi Boni filio,pepigit
An. 1465. Artic. 3. anno M. CD. LXV. in quo hæc habentur: *Inſuper, cùm Atrebatenſi pacto inter alia conſtitùtum fuerit, vt Comitatus Bononiæ eſſet & maneret dicto noſtro auunculo Duci Burgundiæ* [Philippo Bono] *&* PROLIBVS *eius* MASCVLIS *ex ipſius corpore procreatis; & quod dictus Dominus & parens noſter* [Carolus VII. Rex] *teneretur eos remunerare qui ius in illum obtendunt; Nos ob has cauſas, & abſque pacti Atrebatenſis reſtiſione, conſenſimus & declarauimus, conſentimus & declaramus dicto fratri & cognato noſtro* [Carolo Comiti] *vt ipſe, &* LIBERI *eius, tam* MARES *quàm* FEMINAE, *ex ipſius corpore in matrimonio procreati, eorum vitâ durante tantùm, poſſideant, & poſſidere poſſint dictum* BONONIAE COMITATVM, *formâ & medio, quo dictus frater & cognatus noſter pacto Atrebatenſi illum poſſidere potuit; & illo liberè vt fundo proprio frui. Ad quod eorum conſenſum procurabimus, qui in illum Comitatum ius obtendunt; tenebimurque illis ſatisfacere, dictumque fratrem & cognatum noſtrum, eiuſque liberos pacatos ſeruare.*

Carolo poſtmodum Burgundiæ Duce & Comite Bononiæ
Dauſſayus lib. cit. in præf. apud Nanceium cæſo, *Tres Ordines Comitatus Atrebatenſis,* BONONIAE, *& ſancti Pauli, cum alijs omnibus Belgicarum Prouinciarum Ordinibus, conuenerunt in vrbe Gandauenſi, vbi Dominam* MARIAM, *Caroli Ducis filiam & heredem vnicam, exceperunt, & palàm agnouerunt pro Domina, Comitiſſa & Principe naturali dictarum Prouinciarum: vbi etiam inter alios coram adfuêre, & vnà cum alijs ſubſcripſêre, Conſul & Scabinus vnus ciuitatis Bononienſis.*

Nihilominùs contra fidem ritu ſolemni firmatam Ludouicus XI. Rex Bononiam occupauit, quæ ad Mariam, Caroli filiam, vel vi ſolâ
Tomo 1. cap. 41. an. 1477. Confluentini fœderis attinebat: rem ſic enarrat Ioannes Molinetus Burgundicæ domus Hiſtoriographus: *Bononia iuxta mare, muris & foſſis mirum in modum munita, ad deditionem vocata fuit, & arx eius ſimiliter; quod Centuriones & ciues audire noluerunt. Rex tamen obſidionem parari iuſſit, & tormenta bellica ſic diſpoſuit, vt ipſi vrbs cum arce dedita fuerit. Rex introgreſſus publicè ſignificauit, quòd etſi Bononia pertineret ad Dominum Bertrandum de Turre, Comitem Aluerniæ, illam nihilominùs pro ſecuritate Regni ſeruare ſibi vellet, cum ſufficienti dicti Turriani remuneratione. Comitatus Bononiæ priùs tenebatur in feudum à Comitibus Arteſiæ; ſed tunc Rex nouum eius Dominum ſe fecit, & hominium pro illo præſtitit glorioſa Virgini Deiparæ diſcinctus, & flexo genu, in ipſius templo, præſente Abbate, Religioſis, Conſule, Scabinis, ciuibuſque: & pro aſſerendo illo iure, ante imaginem Deiparæ obtulit cor ex auro puro, quod ſo-*

latos

latos aureos bis mille pondebat: mandauitque, vt ſui ſucceſſores Franciæ Reges dictum Comitatum deinceps tenerent à Mariâ Virgine, paremque ipſi facerent oblationem.

Petrus Matthæus, qui eadem refert, ſcribit Ludouicum XI. *fuiſſe Principem, qui religionem ſuis aptabat conſilijs, non conſilia religioni.* Lib. 8. & 11.

Addit Hallianus, *illum res quidem ſpecie bonas feciſſe, ſed iniquâ mente; Deoque & hominibus ſimulatâ pietate illudere intendiſſe.* Lib. de Rebus Franc. Ille igitur in primis Confluentinum fœdus violauit, quo Maria, Caroli Ducis heres vnica, poſt patris obitum poſſidere Bononiam debebat. Deinde occupatâ præter ius Bononiâ, & Comitatu Loraguesij Bertrando Turriano, pro iure, ſi quod in Bononiam habebat, permutatione conceſſo, Virgini Deiparæ vanâ religionis ſimulatione obſequium clientelare profeſſus eſt; quod Mariæ Burgundæ, Arteſiæ Comitiſſæ, ſolemni more præſtare tenebatur. Vnde commiſſi pœnâ ad ipſam Mariam Bononia iterùm redire debuit, quæ ad eius Maiores dudum deuoluta fuerat, vt iam oſtendi.

Comitatus ergo Bononienſis nullo iure pertinet ad Regem Franciæ, ſed perquam optimo ad Philippum IV. Regem Catholicum, Brabantiæ Ducum & Arteſiæ Comitum iuſtum ſucceſſorem & heredem: quandoquidem —— *ſanguine miſto* Prudent. lib. 2. contra Symmach.

Texitur alternis è gentibus vna propago.

LAMPAS XI.

Hiſpaniarum Catholici Reges meritò dici poſſunt Noui Orbis Apoſtoli, & ad ſalutem gentium à Deo deſtinati. Reges Franciæ non ſunt primogeniti Eccleſiæ filij; nec ijs præcipuus ſupra Reges alios titulus Chriſtianiſſimi.

AVCTOR Vitæ S. Genulfi cauſas inter, ob quas CAROLVS I. Imperator MAGNI cognomentum ſortitus eſt, hanc adfert: *A magnitudine Fidei, quâ religioſus viuere ſtuduit; & ab excellentiâ virtutis, quâ* GENTIS SAXONVM, *vel aliarum gentium virtutem ſtrauit, & ex Idololatris Chriſto credulos fecit.* Lib. 2. c. 5.

Saxonicus Poëta, qui florebat circa annum DCCC. XC. ſic de Magno eodem Imperatore:

Nullus APOSTOLICIS *tunc iure propinquior illo,* Lib. 5. fi.

Vt res ipſa docet, COETIBVS *eſſe valet:*

Nam

Nam cùm Iudaico præceſſerit agmine PETRVS
Stipatus, cuius dogmate crediderat:
PAVLVS *totius, licet ſi dicere, mundi*
Gentes ſaluatas duxerit ore ſuo:
ANDREAS *populos poſt ſe producet Achiuos:*
IOANNES *Aſiæ proferet Eccleſias:*
MATHEVS *Æthyopes niueos baptiſmate factos;*
Indorum THOMAS *ducet ad aſtra greges:*
Tum CAROLVM *gaudens* SAXONVM *turba ſequetur;*
Illi perpetuæ gloria lætitiæ.

Aliùs Scriptor gente Saxo, qui tranſlationem S. Liborij litteris conſignauit, circa annum Chriſti CM. de eodem Carolo Magno ſic verba facit: *Quem arbitror noſtrum* [SAXONVM] *iure* APOSTOLVM *nominari, quibus vt ianuam Fidei aperiret,* FERREA *quodammodò* LINGVA *prædicauit. Qui cùm toties victoriâ potitus, quoties in procinctu poſitus, multas ſibi gentes, multa Regna ſubiecit. Conſtat tamen eum glorioſiſſimè etiam de diabolo triumphaſſe, cui tot animarum millia, priùs ſub eius tyrannide captiua, in conuerſione* NOSTRÆ GENTIS *eripuit, & Chriſto Domino acquiſiuit: à quo illum hoc recipere præmium & confidimus, & optamus, vt fruatur in cælis* APOSTOLORVM *conſortio, quorum functus eſt in* TERRIS OFFICIO.

Cap. 5. apud Sur. 23. Iulij.

Fridericus I. Imperator in diplomate dato Aquiſgrani anno Dom. incarnationis M. C. LXVI. de eleuatione corporis S. Caroli Magni: *In fide quoque Chriſti dilatanda, & in conuerſione Gentis Barbaricæ, fortis Atleta fuit, &* VERVS APOSTOLVS [Carolus Magnus;] *ſicut Saxonia, Freſonia, atque Weſtphalia, Hiſpani quoque teſtantur & Wandali, quos ad Fidem Catholicam* VERBO *conuertit &* GLADIO. Hallucinari Fridericum I. Imp. notat doctiſſimus Bollandus, quia non conuertit Hiſpanos Carolus Magnus, ſed ſolùm nonnullas eorum vrbes, & quidem ad Regni fines, à Saracenorum manibus eripuit.

28. Ian.

Haud abſimilem gloriam Recaredo Gothorum in Hiſpaniâ Regi Catholico adſcripſerant Concilij Toletani III. Patres, poſtquam Gothorum & Sueuorum in Hiſpaniâ Gentem ab Arianâ perfidiâ ad Catholicam Fidem conuerterat anno Chriſti D. LXXXIX. acclamarunt quippe omnes, *quòd merebatur* APOSTOLICVM MERITVM, *quia* APOSTOLICVM *impleuerat* OFFICIVM. Vnde Cardinalis Baronius poſt Concilij Patres haud diſſimulanter: *Religioſiſſimus ipſe Rex in conuerſione Gothorum & Sueuorum* APOSTOLI *vice functus.*

Baron. an. 589. num. 33. num. 42.

Quandoquidem igitur Carolus Imperator, ob ſubactam armis, & mancipatam Chriſto Saxoniam, cognominatus eſt *Magnus*, nec non

non & *Saxonum Apoſtolus*; potiori ratione Hiſpaniarum Catholici Reges cenſeri debent *Maximi*, & *Noui Orbis Apoſtoli*; qui velut *filij tonitrui*, non vnam *Saxoniam* (etſi Eginartho *non modicam Germaniæ partem*) ſed barbaras in Indijs infinito numero Gentes, quæ ferarum ritu luſtra potiùs quàm domicilia habebant, non ſolùm certis in ſedibus collocarunt, verùm etiam ad veram pietatem & religionem traduxerunt: illum autem præcipuè AMERICANVM ORBEM anteà incognitum, *qui eſt dimenſionis ter mille & quingentarum leucarum communium; & qui* OCTODECIM *ampliſſima complectitur* REGNA; *in quibus tanta opum omnis generis eſt abundantia, vt vniuerſum Orbem perpluat* AVRO, ARGENTO, VNIONIBVS, GEMMIS, *alijſque rebus innumeris, tum ad humanæ vitæ neceſſitatem, tum ad delicias.*

In Vitâ Caroli Magni.

Cl. Clemens in Differt. §.3.& 4.

Argenti quantitas (inquit Alphonſus Douaglia) *quæ ex Americâ translata eſt in Europam, tanta eſt, vt ex inito millionum, qui claſſibus ſunt aduecti, certo computo; & factâ comparatione cum diſtantiâ, quæ eſt inter Hiſpaniam & Americam, repertum ſit, ab vno ad aliud extremum fabricari potuiſſe pontem ex palis argenteis, longis palmos nouem. Et prætereà, quòd ſi tota illa argenti vis vno aliquo in loco poſſet iterùm vniri, montem ex illâ,* POTOSIO, *ex cuius viſceribus maximè effoſſæ ſunt illæ opes, maiorem poſſe excitari.*

Lib.4.c.4.

Illa ergo Tua eſt potentia, PHILIPPE REX MAXIME, in ORBE NOVO, quem Aſſertor Gallicus *non niſi inuia & deſerta loca* eſſe ſcribit. Illæ ſunt vires & diuitiæ Tuæ, ob quas Tibi non ſolùm, vt Carolo primo Imperatori, *Magnitas*; vt alijs Regibus, *Maieſtas*; verùm etiam, vt Arnobij voce vtar, *Maximitas*, hoc eſt, *Maxima* iure perquam optimo competit *magnitudo*. Theſauri hoſtium in bonorum à ſubditis rapinâ conſiſtunt: Tui in ipsâ naturâ radices habent æternas & inexhauſtas. In tuis omnibus Regnis, quàm latè per vtrumque Orbem extenſa ſunt, æquum & rectum iudicatur:

Pag. 257.

Lib. 6.

Nullæ Nobilium cædes, non crimina vulgo
Texuntur; patriâ mæſtus non truditur exul:
Non infelices tabulæ; non haſta refixas
Vendit opes, auiduſque emptor non voce citatur:
Nec TVA *priuatis creſcunt* AERARIA *donis.*

Claudianus de Honorio.

Ad extremum, quia Apoſtoli, dum viuerēt, Chriſto laterales erant, quippe quos (ait Tertullianus) *præcipuos Chriſtus Dominus* LATERI SVO *adlegerat deſtinatos* NATIONIBVS MAGISTROS: quos etiam defunctos *Deus præ cunctis terræ Regibus voluit honorari, & ad regia illorum veſtibula Imperatores excubare.* Sic etiam Catholici Hiſpaniarum

Lib. 1. de Præſcript. cap. 20.
Baron. an. 337. num.21.

K Reges,

Reges, qui verè ſunt *Noui Orbis Apoſtoli, & nationum magiſtri*, ſupre-
S. Ber- mo Orbis Pontifici, *poteſtate Petro, vnctione Chriſto*, laterales eſſe, &
nard. l. 2. Regibus alijs omnibus anteſtare debent: vt perperàm imponatur
ad Eug. Regibus Franciæ titulus *Primogeniti Eccleſiæ filij*, quem haud multis
In Hiſtor. abhinc annis temerè vſurpatum colligitur ex Ioanne Iuuenali Vrſi-
Car. VI. no, vbi refert acceſſum Caroli VI. Regis ad Clementem VII. Anti-
an. 1389. papam, Auenione agentem, quem Galli pro legitimo Pontifice
agnoſcebant: *Honorem debitum ipſi exhibuit*, VT ECCLESIÆ FILIVS,
(comme filz de l'Egliſe) *ſummiſſo genu, pedem, manum & labia oſculatus.*
Erat ergo *filius Eccleſiæ* Carolus VI. ſed non *primogenitus*; id enim
annotare non omiſiſſet Iuuenalis Vrſinus, Rhemenſis in Galliâ
Archiepiſcopus, Par Franciæ, partiumque Caroli & Gallorum Ma-
gnus ſectator. Iam indicare debent Franci, quinam Caroli VI. in Re-
gno ſucceſſor illam honoris prærogatiuam à Summo Pontifice poſt-
modum ſit adeptus.

Neque Regibus Francorum peculiaris eſt titulus *Chriſtianiſſimi*;
quandoquidem alijs Regibus & Imperatoribus paſſim attributus
Baron. an. fuit. D. Ambroſius GRATIANVM Imperatorem nominat *Chriſtianiſ-*
379. 10. *ſimum Principem*; Felix Papa Tertius ZENONEM Imperatorem Orien-
483. 21. tis, *filium noſtrum, Chriſtianiſſimum Principem*; S. Gregorius Magnus,
599. 12. & Summus Pontifex, MAVRITIVM, *Chriſtianiſſimum noſtrum Impera-*
An. 683. *torem*. Leo II. Papa, in Epiſtolâ ad Eruigium Regem Hiſpaniæ, CON-
STANTINVM POGONATVM vocat *Chriſtianiſſimum noſtrum, imò Dei*
Lib. 3. *Eccleſiæ filium, Imperatorem*. Glaber Rodulphus Franco-Gallus: *Re-*
gnantibus duobus CHRISTIANISSIMIS *Regibus*, HENRICO *ſcilicet*
ApudSur. *Saxonum Rege, &* ROBERTO *Francorum*. In Vitâ S. Cunegundis, HEN-
3. Martij. RICVS II. Imperator, eius maritus, nuncupatur *Chriſtianiſſimus*. Otho
L. 7. c. 7. Friſingenſis ad annum M. CII: *Conradus, filius Henrici Imperatoris,*
Chriſtianiſſimus.

RECAREDVS Hiſpaniarum Rex Catholicus, anno D. XCVIII. in
In proœ- Concilio Toletano III. dictus eſt *Chriſtianiſſimus, & amator Dei,*
mio. *Glorioſiſſimus Dominus*: in Barcinonenſi, anno D. XCIX. *Chriſtianiſſi-*
mus & pijſſimus Dominus. Alphonſus à Carthagena Epiſcopus Bur-
Cap. 31. genſis de SISEBVTO Hiſpaniæ Rege: *Hic Chriſtianiſſimus per Hiſto-*
Cap. 3. *riatores vocatur*. In Concilio Toletano VI. CHINTILANVS Rex
* Roder. Hiſpaniæ dicitur *Excellentiſſimus & Chriſtianiſſimus Princeps*. Leo II.
Tol. l. 4. Papa, in Epiſtola ad Quiricum, ERVIGIVM Regem Hiſpaniæ vo-
c. 17. car *Præcellentiſſimum atque Chriſtianiſſimum Regem, filium ſuum.*
Mariana
l. 7. c. 18. ALPHONSVS III. MAGNVS, Rex Oueti & Galliciæ, à Ioanne VIII.
Rod. San- Papâ per Epiſtolam dictus eſt * *Rex Chriſtianiſſimus*; ſcilicet *Conſtanti-*
tius p. 3.
c. 12.
num

num & alios Chriſtianiſsimos imitatus, qui firmamentum Imperij in religione collocarunt. Luitprandus Ticinenſis, & Sigebertus ad annum CM. XLIV: *In Hiſpaniâ Addaram Rex Saracenorum à* RADAMIRO *Chriſtianiſſimo Regè Galitiæ in bello ſuperatus eſt.* Albericus ad annum M. C. XV: *In Hiſpaniâ ciuitas Colimbria à Rege* FERNANDO *Chriſtianiſſimo per beatum* IACOBVM *de manu Saracenorum fuit recuperata.* L. 5. c. 1.

Hermannus Contractus ad an. DC: XXXIV. de Anglorum Regibus: OSWALD *tertius, filius* EDILFRIDI, *Chriſtianiſsimus.* Albericus ad annum CM: *Elfredus Rex Angliæ Chriſtianiſsimus.* Dudo in Hiſtoriâ Normannorum ad annum CM. XCV: *Alſtenus Rex Anglorum Chriſtianiſsimus, omnium Regum probitate præcellentiſsimus.* Denique Glaber Rodulphus iam laudatus: *Rex Vngrorum* STEPHANVS *Chriſtianiſsimus.* Lib. cit. Quod igitur honoris nomen ad Imperatores Orientis & Occidentis, ad Hiſpaniæ, Angliæ & Hungariæ Reges meritò ſpectauit, non attinuit ad ſolos Franciæ Reges, nec ijs ſupra alios præcipuum & peculiare fuit.

LAMPAS XII.

Antiqui Franciæ Reges cum Imperatoribus fœdera percutiebant; non ſeorſim cum Imperij Principibus aut Statibus, qui Cæſaribus infidi eſſent.

NORMANNI veteres vt Regnum Franciæ, quod minori Caroli Simplicis ætate iam peruagando vaſtauerant, denuò depopularentur, ac datæ fidei illuderent, dixerunt in ſpeciem, *ſe cum Rege Francorum mortuo Carlomanno tantùm, non cum Francis pacis pepigiſſe pactum.* Regino an. 884. Sigebertus an. 885. Verùm hodie vice versâ, vt vaſtum Imperij corpus paulatim conficiant Franci, profitentur palàm, ſe cum Imperio, non cum Imperatore iunctam fœdere ſocietatem iniuiſſe; *veterem eſſe inter Franciæ Reges & Imperij Principes neceſsitudinem.* Sleidanus lib. 8. Quod poſtremum quàm à vero ſit alienum, conuincunt Regum Franciæ cum Imperatoribus, non autem cum Imperij Principibus, congreſſus amici plures; quos hinc inde diſperſos in vnum collectos dabo.

Primus congreſſus LOTHARII *Imperat. cum* CAROLO CALVO *Rege Franciæ.*

Lib. 4. Anno 843. NITHARDVS Caroli Magni nepos: *Mediante Iunio, Feriâ videlicet quintâ, propter ciuitatem Madaſconem, in inſulâ, quæ Anſilla dicitur, cum æquo numero Primorum* LODHARIVS *Imperator,* LODHWICVS *Rex Germaniæ & KAROLVS Rex Franciæ occiduæ conueniunt, & hoc ſacramentum mutuò ſibi iurauerunt; videlicet, vt ab eâ die, & deinceps, inuicem ſibi* PACEM *conſeruare deberent.*

II. LVDOVICI II. *Imp. cum* LOTHARIO *Rege Franciæ mediæ, ſiue Lotharingiæ, &* CAROLO *Rege Prouinciæ.*

Anno 856. ANNALES Francorum Bertiniani: LVDOICVS *Imperator Italiæ, & Lotharius frater eius Rex Franciæ, cum Karlo puero, germano ſuo, apud Vrbam* CONVENIVNT; *vbi adeò pro Regni paterni portionibus diſſident, vt penè armis inter ſeſe decernant: Karlo tamen fratri ſuo Prouinciam & Ducatum Lugdunenſem iuxta paternam diſpoſitionem diſtribuunt, eripientibus eum à fratre Lothario Optimatibus, qui illum moliebatur in clericum tonſurare.*

III. LVDOVICI I. *Germaniæ Regis cum* CAROLO CALVO *Franciæ Rege, &* LOTHARIO *Rege Lotharingiæ.*

Anno 859. ANNALES Francorum Fuldenſes: LVDOVICVS *Rex* [Iunior Imperator] *quaſi inchoante Verno tempore Wormatiam venit, cùm frequentibus Legatorum ſuorum diſcurſibus fratris* [Caroli Calui Franciæ occiduæ Regis] *ac nepotis ſui* [Lotharij Regis Lotharingiæ] *animos reconciliare ſtuderet, eorumque reſponſa per internuncios reciprocâ relatione ſuſciperet: tandem condicto tempore ſinguli, cum æquo numero Principum ſuorum, ex aduerſâ parte nominatim expreſſorum, iuxta Anternacum caſtellum, in quâdam inſulâ Rheni fluminis nauigio vecti* CONVENERVNT, *reliquo ſingulorum comitatu ſuper littus ex vtrâque parte fluminis conſiſtente: vbi cùm diu varia & anceps actarum ſimul & agendarum rerum agitata eſſet diſputatio, condicto placito Autumni temporis, iuxta Baſalam communiter habendo, ſinguli cum ſuis ad propria reuerſi ſunt.*

IV. LV-

IV. LVDOVICI I. *Germaniæ Regis cum* CAROLO CALVO *Franciæ Rege.*

HERMANNVS Contractus: LVDOVICVS *Rex Germaniæ & frater eius* CAROLVS *Rex Galliarum* CONVENIENTES, *debita ſibi inuicem relaxant, &* FOEDVS PACTVMQVE *innouant, & confirmant.* Anno 864.

V. ARNVLPHI *Imperatoris cum* ODONE *occiduæ Franciæ Rege.*

ANNALES Fuldenſes: *His auditis Rex* [Arnulphus Imperator] *Franciam petijt; habitoque ad Franconofurt generali conuentu, diſpoſuit aduentare Wormaciam: quod* ODO [qui Franciam Occidentalem vſurpauerat] *comperiens, ſalubri vtens conſilio, conteſtans ſe malle Regnum ſuum gratiâ cum Regis pacificè habere, quàm vllâ iactantiâ contra eius* FIDELITATEM *ſuperbire; venienſque* HVMILITER *ad Regem, gratanter ibi recipitur. Rebus ab vtrâque parte prout placuit proſperè diſpoſitis, vnuſquiſque reuerſus eſt in ſua.* Anno 888.

VI. ARNVLPHI *Imp. cum* ODONE & CAROLO SIMPLICE, *Franciæ Occidentalis Regibus.*

HERMANNVS Contractus: ARNOLFVS *Rex cum* ODONE *Galliarum Rege ad ſe veniente* PACEM *firmat: Caroloque, filio Regis Ludouici Balbi, non multò pòſt* VENIENTI, & MVNERA OFFERENTI, *auxilium denegat.* Regino Abbas: ODO *Rex cum magnis muneribus ad* ARNOLPHVM *venit, à quo honorificè ſuſceptus eſt; omnibuſque impetratis pro quibus venerat, in Regnum reuertitur.* Anno 895.

VII. HENRICI I. *Imp. cum* CAROLO SIMPLICE *Franciæ Rege.*

FLODOARDVS in Chronico: CAROLVS SIMPLEX *in Regnum Lotharij abijt; receptiſque per vim quibuſdam Ricuini infidelis ſui præſidijs, &* FACTA PACTIONE *vſque ad Miſſam S. Martini cum* HENRICO *Principe Trans-Rhenenſi, reuertitur ad montem Lauduni.* Additur in fine illius anni: CAROLVS *iterùm* PACEM *cum* HENRICO *firmat.* Anno 921.

VIII. HENRICI I. *Imp. cum* ROBERTO I. *Franciæ Rege.*

Anno 923. FLODOARDVS iterùm: ROTBERTVS *in Regnum Lotharienſe proficiſcitur locuturus cum* HENRICO, *qui ei obuiàm venit in pagum Ribuarium ſuper fluuium Ruram; vbi ſe inuicem pauerunt, & PACTA AMICITIA, datiſque ab alterutro muneribus, diſceſſerunt.*

IX. HENRICI I. *Imp. cum* CAROLO SIMPLICE *Franciæ Rege.*

Anno 922. lege 923. SIGEBERTVS Gemblacenſis: KAROLVS *Rex Francorum cum auxilio Lotharienſium iuxta vrbem Sueſſionis pugnans contra* ROBERTVM *fratrem* ODONIS *Regis, qui contra ſe Regnum Francorum inuadebat, cum multis perimit; & SE & FRANCIAM HENRICO REGI ſubmittit; eique in pignus* PERPETVI FOEDERIS ET AMORIS *mittit manum pretioſi Martyris Dionyſij Pariſienſis auro gemmiſque incluſam.*

X. *Eorumdem.*

Anno 923. SIGEBERTVS iterùm: *Reges* HENRICVS *&* KAROLVS *apud Bonnam* CONFOEDERANTVR; *&* KAROLVS *reddit* HENRICO *Regnum Lotharingiæ, Epiſcopis & Comitibus vtrimque iureiurando rem confirmantibus.* Otho Friſingenſis: *Dum* HENRICVS *cis Rhenum regnaret, & de Belgicâ cum* KAROLO *diſceptaret, ex voluntate amborum, ad huius litis ſcrupulum decidendum, die Bonnæ conſtitutâ, Belgica* HENRICO *ceſſit, &* KAROLO *Celtica tantùm & Aquitania.*

Lib. 6. c. 18.

XI. OTHONIS I. *Imp. cum* LVDOVICO IV. *Franciæ Rege.*

Anno 942. FLODOARDVS: LVDOVICVS *Rex* OTHONI *Regi obuiàm proficiſcitur, & amicabiliter ſe mutuo ſuſcipientes,* AMICITIAM SVAM *mutuo firmant conditionibus.*

XII. *Eorumdem.*

Anno 946. CONTINVATOR Reginonis: LVDOVICVS *Rex à ſuis Regno expulſus, auxilium petens Regem* OTTONEM ADIIT, *& vt deſiderauerat*

rauerat obtinuit. Nam validâ manu Rex GALLIAM *intrauit, & Remenſem vrbem, & Laudunum, aliaque caſtella quamplurima firma & munita* LVDOVICO *reddi fecit, ipſeque hoſtiliter vſque Rothomagum peruenit. Inde omnibus penè, excepto Hugone, Ruodberti filio, Regni Maioribus Regi ſuo ſubactis, in patriam regreditur.*

XIII. *Eorumdem.*

FLODOARDVS: LVDOVICVS *Rex Aquis Paſcha cum* OTHONE *Rege celebrat, & regijs honoratur ab eo muneribus.* Anno 947.

XIV. *Eorumdem.*

FLODOARDVS iterùm: *Rex* LVDOVICVS *ad* OTHONEM *Regem proficiſcitur trans Moſellam, conſilium quærens & auxilium ab eo de* PACE *fienda inter ſe & Hugonem.* Anno 950.

XV. OTHONIS I. *Imp. cum* HVGONE MAGNO *Francorum Duce.*

SIGEBERTVS: *Rege* OTHONE *ſecundam expeditionem in Franciam parante,* HVGO *virtutem eius non ferens, ei iuxta fluuium Charum occurrit, &* PACTO PACIS *ſecundùm nutum Regis facto, manus ei dedit.* Witichindus Saxo: *Hugo autem expertus potentiam Regis, virtutemque Saxonum, non paſſus eſt vltra terminos ſuos hoſtiliter intrare; ſed pergenti in eamdem expeditionem anno ſequenti occurrit iuxta fluuium, qui dicitur Car; manus dedit, iuxtaque* IMPERIVM REGIS PACTVM *iniјt, vtiliſque proinde remanſit.* Fragmentum Hiſtoriæ Franciæ: HVGO MAGNVS *eodem anno ad Regem* OTHONEM *pergens, duos illi leones præmiſit; & inde benè remuneratus remeans, à Duce Conrado vſque ad Maternam fluuium deductus eſt.* Anno 950. Lib. 3.

XVI. OTHONIS I. *Imp. cum* LOTHARIO *Rege Franciæ.*

CONTINVATOR Reginonis: *Imperator in Ingelheim Paſcha cum magno gaudio celebrauit: inde nauigio Coloniam attingens, matrem ſuam Dominam* MATHILDEM, *& ſororem ſuam* GERBIRGAM *Reginam, filiumque eius Regem* LOTHARIVM, *ſibi obuios, condigno ibi amore & honore* Anno 965.

honore tractauit. Flodoardus: OT[illegible] *Imperator ab vrbe Româ regrediens Coloniam venit, ibique* GERBERGAM *Reginam, ſororem ſuam, cum filijs,* LOTHARIO *Rege,* CAROLOq; *puero, ad ſe venientem excepit: & cum eis, alijſque magnis Proceribus, placitum magnum habuit.* Addit Sigebertus: *Vbi omnis illa Regalis proſapia tanto ad inuicem congratulationis iubilo eſt affecta, vt in omni vitâ eorum vix aliquid gaudij huic lætitiæ potuerit æquiparari.*

XVII. *Eorumdem.*

An.980. SIGEBERTVS: OTHO *Imperator &* LOTHARIVS *Rex conuenientes ſupra Charum fluuium* PACIFICANTVR, *datis inuicem ſacramentis: & Rex* LOTHARIVS *Lotharingiam abiurat.* Bal-
Li.1.c.113. dericus Nouiomenſis: *Decurſis autem temporum ſpatijs,* OTTO *Imperator & Rex* LOTHARIVS *inter ſe fœderati* PACANTVR, *& vtrum-*
Lib. 3. *que Regnum factâ tranquillitate quieuit.* Ditmarus Epiſcopus: *Imperante tunc prædicto* OTTONE *ſex annos,* LOTHARIVS *Rex, cum filio ſuimet, ac muneribus magnificis ad eum venit, & ſibi ſatisfaciens,* AMICITIAM EIVS *firmiter acquiſiuit.*

XVIII. HENRICI II. *Imp. cum* ROBERTO II. *Franciæ Rege.*

An.1023. SIGEBERTVS rurſum: HENRICVS *Imperator &* ROTBERTVS *Rex Francorum ſuper Charum fluuium apud Euoſium conueniunt, de ſtatu Eccleſiæ,* REGNI *&* IMPERII *tractaturi: & condicto vt ſuper his confirmandis etiam Papam Romanum ſimul Papiæ opportunè conuenirent, Imperator Regem & ſuos, multos etiam qui ad demirandam* IMPERIALEM MAIESTATEM *conuenerant, tantâ liberalitate donauit, vt opibus Regum Perſarum aut Arabum poſſet comparari*
L.3.c.37. *Imperatoris munificentia.* Baldericus Nouiomenſis fusè & perſpicuè: *Hinc autem* IMPERATOR *egreſſus, ad* EVOSIVM *villam pulcherrimam, quam beati videlicet* GAVGERICI *natiuitas inluſtrauit, cum* PRIMORIBVS *quidem* SVORVM PALATINORVM *intendit; ibi ſcilicet cum* ROTBERTO *Rege* COLLOQVIVM *habiturus; ſed & de ſtatu Imperij, ac non tantùm de mundanis, verùm de ſpiritualibus locuturus. Sapienter quippe diſpoſito, vt in eo loco, vbi beatiſſimum* GAVGERICVM *nouerat ortum, eius gaudioſam feſtiuitatem, quæ III. Idibus Auguſti eſt, celebrare veniret. Qui nimirum* QVANTO MAIOR, TANTO HVMILIOR, *Regi* ROTBERTO, *cùm* AD SE VENIRET, *in villâ* MOSOMO,

in die feſto S. LAVRENTII *occurrere æſtimauit : in craſtino verò S. Gaugerici* VENIENTEM AD SE *cum ſummâ veneratione ſuſcepit. Hoc autem tam* SPECIALE COLLOQVIVM , *&* *tantæ ſolemnitatis* CONVENTVM, *non eſt meæ paruitatis euoluere, vbi quidam diuerſarum nationum Duces ac Satrapæ, vbi ſummorum & illuſtrium virorum, tam Epiſcoporum videlicet quàm & Abbatum, in numero confluxêre perſonæ. Ad hoc autem plurimi conuenerunt, vt* DIGNITATEM IMPERATORIAM *mirarentur, quam tantoperè fama laudabat. Ibi certè* PACIS *&* IVSTITIAE *ſumma diffinitio* , MVTVÆq; AMICITIAE *facta reconciliatio. Ibi quoque diligentiſſimè de* PACE *ſanctæ Dei Eccleſiæ maximè tractatum eſt, & quomodo Chriſtianitati, quæ tot lapſibus patet, meliùs ſubuenire deberent. Exin verò ſeſe inuicem conſulentes, vbinam iterùm* CONVENTVRI: *Domnum etiam Apoſtolicum, vnà cum tam citrà quàm vltrà Alpinis Epiſcopis ſecum habeat, nuſquam aptius quàm* PAPIAE *decernunt. His ita geſtis, cùm ab inuicem diſcedere debuiſſent, ac verò quis tanta & tanti ponderis munera ſufficienter poterit æſtimare, quibus viciſſim Imperator Regem donauit, ab Archiepiſcopo videlicet Colonienſium, & à Domno Gerardo Epiſcopo, ſed & à Duce* GODEFRIDO *ſimul oblatis? Rex* IMPERATOREM *donare cupiens, quæcumque potuit munera vt ſuſciperet præſentauit : qui omnibus cum gratiarum actione remiſſis, vtpote* DITISSIMVS, *dentem tantummodò S.* VINCENTII *martyris, ne immunis videretur, retinuit. Nec ſolùm autem Imperator Regem putauit donandum, verùm etiam omnes tam Epiſcopos quàm Abbates; ſed & maiores quoque precioſis muneribus accumulans, nullum penè indonatum reliquit. Quicumque ergo illuc conuenerant* IMPERATORIAM MAGNIFICENTIAM *cognituri, mirati profectò quæ viderant, dicebant ſe plura vidiſſe quàm rumor fuiſſet. Nullum enim Regem aut Perſarum, aut Arabum huic conferre audebo, quamuis eos cunctis gentibus opibus præſtare legiſſem.*

San-Marthani fratres apertæ rei alienam inducunt ſpeciem, vbi ſcribunt *Henricum hunc Imperatorem cum exiguo comitatu adiuiſſe Robertum Regem; cuius idcircò inferiorem ſe agnoſcebat.* Humaniſſimus Imperator Regem amicum *ad ſe venientem* anteuertit; *Primò namque manè ſurgens*, inquit Glaber, *cum paucis ad Regem tranſijt.* Nec propterea ſe minorem Rege, ſed vrbani moris ſcientem oſtendit.

Lib. 12. c. 2. ed. vlt.

L. 3. c. 2.

XIX. HENRICI III. *Imperatoris cum* HENRICO I. *Franciæ Rege.*

An.1048. HERMANNVS Contractus: *Autumnali tempore* HEINRICVS *Imperator & HEINRICVS Galliarum Rex in Metenſi territorio conuenientes,* PACEM PACTVMq; *inter ſe iuramento confirmant.*

XX. FRIDERICI I. *Imp. cum* LVDOVICO VII. *Franciæ Rege.*

An.1162. CHRONICVM Affligemienſe: *Imperator* FRIDERICVS, *à Rege Francorum inuitatus, vt ſublato ſchiſmate Eccleſiæ Romanæ* PAX *firma redderetur, Concilium in territorio Veſuntionum, in* * *Ladona villa, ſupra Saonam fluuium, in decollationem S. Ioannis Baptiſtæ, conuocauit. Sed Rege Franciæ ab Imperatore auerſo, quiique ſine effectu, eâdem & adhuc grauiore permanente diſcordiâ, in ſua redierunt.* Addit Aubertus Miræus ex MS. Orteliano: *Menſe Septembri* FRIDERICVS *Imperator cum Octauiano iuxta Saonam fluuium conſedit; & Rex Franciæ* LVDOVICVS *Diuione, congregatis ex vtrâque parte multis Epiſcopis, Abbatibus, clericis, laicis, tam Principibus quàm popularibus, vt ſchiſmati Eccleſiæ finem facerent, ſi poſſent: & non potuerunt, ſed cum magnâ diſſenſione & ſimultate ab inuicem receſſerunt.*

* Sic eſt in MS. Lipſ.

XXI. FRIDERICI II. *Imp. cum* PHILIPPO II. *Franciæ Rege.*

An.1212. ALBERICVS in Chronico: *Rex Siciliæ* FRIDERICVS *contra* OTTONEM *in Allemanniâ regnaturus Tullum venit: cui Dominus* LVDOVICVS, *Regis Franciæ filius, apud caſtrum* VALLIS COLORIS *occurrit; &* COLLOQVIVM SOCIETATIS *ad inuicem habuerunt.* Rigordus de illo congreſſu: *Eodem anno celebratum eſt* COLLOQVIVM *inter eumdem* FRIDERICVM *&* PHILIPPVM, *magnanimum Regem Francorum, apud* VALLEM COLORIS, *Metenſi Epiſcopo mediante: cui tamen non interfuit ipſe Rex, ſed* LVDOVICVS *filius eius primogenitus, cum Magnatibus Regni: & percuſſerunt* FOEDVS *inter ſe, & renouarunt* AMICITIAS PERPETVAS, *ſicut fuerunt inter eorum prædeceſſores.* Hoc eſt antiquum FOEDVS, *quod vetuſtate propemodum obſoletum* PHILIPPVS *Auguſtus aureis deſcribi litteris, & ſanctiori loco reponi iuſſit.*

In Geſtis Phil. Aug.

Sleidanus lib. 24.

XXII. HEN-

XXII. HENRICI VI. *Romanorum Regis cum* LVDOVICO VIII. *Rege Franciæ.*

ALBERICVS iterùm: *Domnus Cardinalis Conrardus à Romà egreſſus*, *&* PER IMPERIVM *conſtitutus* LEGATVS *Leodium venit; ibique Vallem benedictam Ordinis Ciſtercienſis de nouo fundatam circa Pentecoſtem conſecrauit. Deinde Tullum venit in Octauis B. Martini cum Colonienſi & Moguntinenſi Archiepiſcopis, & cum Imperatoris filio Rege* HENRICO, *& Maioribus Allemaniæ: Rex quoque Francorum* LVDOVICVS *cum ſuo colloquio, & conſilio*, IN EODEM CONFINIO, *apud caſtrum* VALLIS COLORIS. *Et ſequenti die* VTRIVSQVE REGNI CONCILIATORES *in vnum conuenientes, congruum colloquium ad inuicem habuerunt.* An. 1224.

XXIII. ALBERTI I. *Imp. Auſtriaci cum* PHILIPPO PVLCHRO *Rege Franciæ.*

HISTORIAE Auſtralis pars plenior: ALBERTVS *Rex Romanorum & Rex Franciæ* PHILIPPVS *cum magnâ pompâ militum apud* GADIOR AMICABILITER *conuenerunt: vbi prædictus Rex Franciæ ſororem ſuam Dominam* BLANCAM *filio Regis Romanorum* RVDOLPHO *copulauit in vxorem in die Conceptionis B. Mariæ Virginis. Hæc facta ſunt ſupradicto* IN CONFINIO REGNORVM *Regis Romanorum & Regis Franciæ, in prato infra Tol & Gadior.* Cenſet Brouuerus pactum illud fœdus ad Fagenſe caſtrum, vulgo *Foulx*; quod ille vocat *Villam Foulziam ſupra Tullum oppidum.* Papirius Maſſonus adfert ipſum Alberti Cæſaris diploma *datum apud* QVATVOR VALLES *die Martis, octauâ menſis Decembris, anno Domini* M. CC. XCIX. Vnde Hiſtoriæ Auſtralis Auctor ex *Quatuor* corruptè potuit feciſſe *Gadior.* Exiſtimarem ego per *Quatuor valles* intelligi *Vallis coloris* oppidum, à quo ad Tullenſem vſque ciuitatem ſunt amœniſſima prata: deinde quia locus eſt alijs Imperatorum & Regum congreſſibus illuſtris. Denique propterea quòd Nangius, Belleforeſtius, Dupleixius, alijque fœdus iſtud ſancitum diſertè ſcribunt *apud Vallem coloris*: quamquam id factum apud Tullum affirmet Pius II. Papa; cuius hæc ſunt verba: *Philippus* [Dux Burgundiæ] *indignè agere Regem aiebat* [Carolum VII.] *qui nonnulla in Ducatu Luxemburgenſi, id eſt in Imperij ditione, oppida occupaſſet aduerſus* ANTIQVVM FOEDVS, *quod Franciæ Reges cum Imperatoribus apud* TVLLVM *percuſsêre; in quo cautum ſit,*

An. 1299. — Lib 16. Annal. Treuir. — Lib. 3. — Lib. 3. ad an. 1459.

IMPERATOR IN REGNO FRANCIAE, REX IN IMPERIO NE DOMINATVM SIBI VENDICET, ETIAMSI VOLENTES ALIQVI SE DEDANT; *iniuſtè Regem agere, qui* FOEDVS *violet, & oppigneratum ſibi Luxemburgenſem Ducatum moleſtare audeat.*

XXIV. MAXIMILIANI I. *Imp. Auſtriaci cum* LVDOVICO XII. *Franciæ Rege.*

An.1501. IN Conſilio Pacis Tridenti habito anno M. DI. inter MAXIMILIANVM I. Romanorum & LVDOVICVM XII. Franciæ, Reges, iſte fuit articulus fœderis octauus: *Quòd Chriſtianiſſimus Franciæ Rex promittat & polliceatur, quòd nequaquam vllo aut quocumque modo ſe circa ſubditos, & de rebus Imperij Romani, abſque ſcitu & voluntate Romanorum Regis intromittere velit. Poterunt tamen nihilominùs ambo Reges ſubditos vtriuſque Regni ad omnia alia ſua ſeruitia in ſeruitores accipere.* Regis Franciæ declaratio ſuper illâ Tridentinâ pactione Bleſis factâ eodem anno M. DI. iſthæc fuit: *Touchant le VIII. article commençant*; Quòd Chriſtianiſſimus Franciæ Rex promittat & polliceatur; *le Roy entend ceſt article non ſeulement auoir lieu pour l'Italie, mais generalement pour touts les aultres lieux & Pays qui ſont de l'Empire.*

Cum Imperatoribus igitur, & Romanorum Regibus, non cum Imperij membris, ſeorſim ab eius capite, Reges olim Franciæ bonâ fide fœdera percuſſerunt. Primus qui à Maiorum recto itinere deflexit, & prauo conſilio ſocietatem iniuit cum Principibus Imperij, Carolo V. Imperatori rebellibus, fuit HENRICVS II. Franciæ Rex; ſic Lib. 25. cap. 44. an. 1551. enim de Mauritio Saxone Franciſcus Belcarius Epiſcopus Metenſis: *De inferendo* CAESARI *bello cum* HENRICO *Galliæ Rege pactus erat, Ioanne Freſſano Baionenſi Pontifice pactionis interprete, qui iam ad illum* Anno eodem, l. 8. CLAM *miſſus erat.* Similiter Iac. Aug. Thuanus: *Conſtat certè* MAVRITIVM *iam tum cum Rege* HENRICO TACITAM CONVENTIONEM *feciſſe interuentu Ioannis Fraxinei, Lapurdenſium Epiſcopi, viri diu in Germaniâ verſati, & linguæ periti, qui prætextu aliorum negotiorum apud ipſum erat.* Subiungit deinde poſt nonnulla: *Adiectum conuentionibus, videri è re omnium eſſe, vt Rex quamprimùm Cameracum, ſi poſſet, Diuodurum, ſiue Metim, Tullum, & Virodunum, Lotharingiæ ciuitates, occupet, & præſidio firmatas* VICARII IMPERII *nomine in poſterum teneat: item vt bellum in Belgio excitet, quo Cæſaris vires, pluribus locis oppugnati, diſtrahat.* Clandeſtinum ergo iniuſtumque Henrici II. Regis conſilium fuit, & perniciosa cum ſeditioſis factio; mercatura fuit, non amicitia: auxilia enim carò vendidit, non gratis ſubminiſtrauit,

ſtrauit, dum ciuitates Imperij, METIM, TVLLVM, & VIRDVNVM, in Lotharingiâ Superiore ſitas, ſpecie protectionis emunxit.

Similem ſocietatem contra antiqua Maiorum ſuorum fœdera nuperrimè iniuit LVDOVICVS XIII. Franciæ Rex cum Principibus & Statibus quibuſdam Imperij ſeorſim ab Imperatore, nec non & cum alijs hoſtibus Imperij externis, non ex amore erga Imperium & Principes Imperij; ſed vt dum à capite membra diuelleret, dum Principes à Principibus, Circulos à Circulis ſeiungeret, totius compagis diſſolutionem moliretur; & ſic Imperij Prouincias, in quas iuris ne quidem vmbram habebat, ſuæ ſubijceret poteſtati. Verùm felicem Germaniam tandem faciet Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDVS III. Orbi diuinitus deſtinatus: faciet Deus; & infracta ſtabit IMPERII GERMANICI HISPANICIQVE MAIESTAS; temporumque felicitas quaſi reddito AVREO SAECVLO effloreſcet. Hæc eſt votorum meorum ſumma, & Opuſculi huius critici coronis.

MANTISSA
AD PRIMAM LAMPADEM,
De fabuloſo ſtemmate Hugonis Capeti.
Verbulum in conuiciatores.

VT Boucheti Dominicique commento auctoritatem addant Scriptores nouitij, iactant eximium virum Andream Cheſneum illud ſtemma è tenebris primùm eruiſſe. Et verum id quidem, neque inficiandum puto, inter eius ſchedas repertum quoddam ſpecimen primore manu deſcriptum; ſed ad cuius pleroſque gradus appoſita erat particula *fortè*. Id enim affirmant viri probi, & fide digni, qui proprijs oculis ſchedam illam inſpexêre, de quâ tantoperè triumphant aduerſarij, & partum informem, neglectumque, velut ex tripode oraculum, nobis obtrudunt, magni viri Manibus illudentes. Nouerat ſiquidem inſignis Genealogus veteres rerum Francicarum Scriptores, quos vel ipſe in lucem ediderat, vel ſcriptos domi ſeruabat: qui omnes illi fictitiæ origini penitus repugnant. Viderat ille Robertum monachum S. Mariani apud Autiſſiodorum, qui dum antiquiorum Regum adfert nomina, Carlouingos Capetinoſque iſthac recenſet ſerie vſque ad obitus ſui annum, qui fuit Chriſti M. CC. XI.

San-Marth. l. 11. c. 2. edit. vlt.

In Chron. Pag. 5.

Nomina Regum Francorum.

21. PIPINVS.
22. CAROLVS MAGNVS.
23. LVDOVICVS PIVS.
24. CAROLVS CALVVS.
25. LVDOVICVS BALBVS.
26. KARLOMANNVS ET LVDOVICVS REGES.
27. ODO: *hic alienus.*
28. CAROLVS SIMPLEX.
29. ROBERTVS: *hic alienus.*
30. RADVLPHVS: *hic alienus. Regnum poſt hunc reductum eſt.*
31. LVDOVICVS FILIVS CAROLI.
32. LOTHARIVS.
33. LVDOVICVS.
34. CAROLVS FRATER LOTHARII. *Poſt hunc tranſlatum eſt Regnum.*
35. HVGO.
36. ROBERTVS.
37. HENRICVS.
38. PHILIPPVS.
39. LVDOVICVS CRASSVS.
40. LVDOVICVS PIVS.
41. PHILIPPVS DOCTVS ET ELOQVENS.

Hæc Robertus Autiſſiodorenſis. ODO itaque, ROBERTVS & RADVLPHVS Reges à Carlouingorum genere ALIENI erant: ab his deinde REDVCTVM EST REGNVM ad legitimos Reges Carlouingos: tum demum ab iſtis in Principem alienæ gentis HVGONEM EST TRANSLATVM, ſiue, vt loquitur Guibertus, Nouigenti Abbas, *in externum genus.* Cùm enim Hugo Capetus Roberti Regis alieni ex filio nepos eſſet, eodem modo, quo auus, genere extraneus erat. Namque ſi à S. Arnulpho Metenſi, certo Carlouingorum ſtipite, ortus fuiſſet Hugo Capetus, à Carlouingis alienus non fuiſſet; ſed illis agnatus in gradu haud ita remoto, ac Henricus IV. Borbonius Regi, cui ſucceſſit, Henrico III. ſtirpe Valeſio; à quo gradibus vno ſupra viginti diſtabat quando ſceptrum adeptus eſt; non idcircò alienus à Valeſijs exiſtimatus, quia ex eodem Capeti trunco ambæ ſtirpes prodibant.

Ad grad.4 Iam quòd *germanitas* de fraternitate maternâ æquè intelligatur
Lamp.1. ac de paternâ, alia duo exempla reperi. Primum exhibet Rodericus
L.6. c.21. Toletanus, vbi de Semenâ, Alphonſi VI. Caſtellæ Regis nobili concubinâ: *Eadem Semena Munionis genuit aliam filiam, quæ* THARASIA *dicta fuit; quam duxit Comes* ENRICVS *ex partibus* BISONTINIS, CONGERMANVS RAIMVNDI *Comitis, patris Imperatoris: ex quâ ſuſcepit idem* ENRICVS ALDEFONSVM, *qui fuit poſteà Rex Portugalliæ.* Non oriebatur illa *congermanitas* ex parte patrum, quia Raimundus & Henricus ex diuerſis familijs prodibant; ſed ex Henrici matre Sibyllâ; cuius causâ *conſobrinus* erat Raimundi, ſiue, vt Rodericus loquitur, *congermanus.*

Schema

Schema propinquitatis.

1. RAINALDVS Comes Burgundiæ: vxor ADELISA Normanna.

2. WILLELMVS Comes Burgundiæ: vxor GERTRVDIS Limburgica.	2. SIBYLLA vxor Henrici, filij Roberti I. Ducis Burgundiæ.
3. RAIMVNDVS Comes Galliciæ: vxor VRRACA filia Alphonſi VI. Regis Caſtellæ.	3. HENRICVS *congermanus* Raimundi Comitis: vxor THARASIA Alphonſi VI. Caſtellæ Regis filia.
4. ALPHONSVS VII. Imperator Hiſpaniæ.	4. ALPHONSVS I. Rex Portugalliæ.

Aliud exemplum præbet Malleacenſe Chronicum, cuius hæc ſunt verba: *Anno* M. LXXI. *ortus eſt Goffredo Duci Guillelmus filius, qui* CONSOBRINVS GERMANVS *Ainrici Imperatoris.*

Schema cognationis.

1. GVILLELMVS Dux Aquitaniæ: vxor AGNES filia Othonis Willelmi Comitis Burgundiæ.

2. GOFFREDVS Dux Aquitaniæ: vxor ALDEARDA filia Roberti I. Ducis Burgundiæ.	2. AGNES vxor Henrici III. Imp. cognomento Nigri.
3. GVILLELMVS Dux Aquitaniæ, *conſobrinus germanus* Henrici IV. Imp.	3. HENRICVS IV. Imperator.

Guillelmus iſte poſterior, & Henricus IV. Imperator, fratris & ſororis filij erant: vnde Malleacenſis Scriptor GVILLELMVM vocat Henrici Imperatoris CONSOBRINVM GERMANVM, hoc eſt Hiſpanicè *primo hermano*, Gallicè *couſin germain*: ſic vt germanitas de maternâ propinquitate etiam dicatur, vt de Childebrandi & Caroli Martelli germanâ per matrem fraternitate ſuprà oſtendi.

AT ecce, dum poſtrema huius libri folia excuduntur, ad manus meas peruenit R.P. Franciſci Macedo, ex Patriarchæ Seraphici diſciplinâ, *Propugnaculum Luſitano-Gallicum*, recens editum Pariſijs; ex cuius icone liminari æri incisâ Typographus operæ pœnitens nomen ſuum abraſit: neque dubito inſolens ipſi viſum, à Macedo Alphonſum I. Luſitaniæ Regem, vt digniorem, in ſummæ

iconis

iconis parte dextrâ collocatum intueri; Regem verò Franciæ Clodoueum, vt inferiorem, in ſiniſtrâ: ſed & intolerabilius, ſpectante aulâ Francicâ vniuerſâ, Ioanni Bragantino dextrum eumdem locum, præ Ludouico XIII. Rege, in imâ icone aſſignari. Percurri auidè Volumen, atque in Gallicis, de quibus in me agit, nihil reperi præter rerum iam ab alijs prudentiùs adductarum verboſam congeriem; nihil planè præter offam, ex recoctâ crambe conuitijs velut capſico aſperſam, quæ ipſis etiam Francis ſtomachum mouit; quippe qui Auctori (vt ipſemet fatetur) tria hæc obiecêre; *in eligendis opinionibus* INSOLENTIAM; *in Gallici nominis hoſtes* INTEMPERANTIAM; *in renouandâ Gallici ad externa Imperia iuris memoriâ* IMPRVDENTIAM. Et profectò inter alia ridiculè agit, vbi me ijs annumerat, *qui auro Hiſpanico ingenia addixêre.* Regi enim Domino meo obtemperaſſe, eiuſque gloriam fortiter tutatum eſſe, iſthæc mihi vnica laboris merces fuit, qui *aurum Hiſpanicum* nec contrectaui manibus, nec oculis inſpexi: in re domeſticâ bello accisâ, cum numeroſâ prole, paterniſque prædijs in ſolitudines redactis, ſola mihi ſemper pretium virtus, & FIDES fuit.

Parte 2. Gallicâ. — In Auctario. — Pag.325.

Ceterùm, *in balneo magnum Catonem quidam percuſſit imprudens: cui poſteà ſatisfacienti Cato: Non memini, inquit, percuſſum me. Meliùs putauit non agnoſcere, quàm vindicare. Nihil, inquis, poſt tantam petulantiam mali factum eſt? imò multum boni: cœpit Catonem noſſe. Magni animi eſt iniurias deſpicere.* Hæc in te transferas velim, Pater Reuerende, & quiſquis alius in me conuitia paras: ſed fortè dices me Catonem non eſſe. Moderatior ſum, quàm vt magni olim viri politiorem vitæ cultum mihi arrogare velim. Hoc vnum dico; Chriſtianum hominem, qui laceſſitus & læſus liberè ignoſcit, vel eo ſolo nomine Catonem eſſe. INIVRIA IN SAPIENTEM VIRVM NON CADIT.

Seneca l.2. de Irâ c.32. — De Conſt. cap.7.

FINIS.

1016545